

DE  
EPHORI CUMAEI  
FIDE ATQUE AUCTORITATE.

---

DISSERTATIO PHILOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXI. MENSIS MARTII A. MDCCCLVII.

PUBLICE DEFENDET

**ADOLPHUS STELKENS,**

RHENANUS.

---

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

*W. C. Brun*

PRINCIPI

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

BOGUSLAVIO RADZIWILL

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

## PROOEMIUM.

---

De Ephori fide atque auctoritate cum et antiquis et nostris temporibus tam dissimiles atque diversae sint allatae sententiae, cum ab aliis in eius favorem, ab aliis in contrarias partes sit disputatum, confiteri debeo, me non sine quadam anxietate ad inquisitionem mihi propositam accedere, praesertim cum ea, quae librorum eius supersunt, multis locis nullas, nisi ambiguas eius fidei praebeant rationes. Nam quae difficultates obviam fiunt illi, qui inquirere studet in alicuius scriptoris libros, qui interierunt, aut in ipsius scriptoris mores, quos ex aliorum tantum memoria cognoscere potest, eae mihi eo maiores obstant, quod nec eorum scriptorum, qui locos ex Ephori scriptis nobis servaverunt, nec eorum, qui de eo verba fecerunt, fidem atque animum in Ephorum omni ex parte perspicere potui. Scriptores denique, qui nostra aetate in perscrutandis reliquiis Ephoreis versati sunt, haud multi sunt, eorumque libri, cum partim de Ephori vita et scriptis potissimum agant, partim in explicando alio quodam scriptore versentur, inter quem et Ephorum ratio aliqua intercedit, eaque ex caussa nostram rem ex una alterave tantum parte attingant, usque eo nihil

ad fidem cognoscendam afferunt, ut saepenumero prorsus omni destitutus sim auxilio. Sed facere non possum, quin statim ab initio eorum virorum mentionem faciam, qui aut in emendandis veterum scriptorum locis ad Ephorum pertinentibus operam posuerunt, aut in ipsius Ephori reliquiis colligendis et illustrandis, quantum equidem scio, optima praestiterunt auxilia. Praeter Vossium, qui in libro suo „De historicis Graecis et Latinis“ l. IV. Amstel. 1658, Ephori nomen in Suidae narratione antea prorsus incognitum restituit, nomino Marxium, qui Caroliruhae 1815 Ephori reliquias collegit atque illustravit, idque opus commentatione de Ephori vita, scriptis, dicendi genere, auctoritate exornavit. Eum virum, etsi multa conscripsit, quae nostro tempore auctis auxiliis probanda esse non videntur, nimiumque in defendendo Ephoro opinionibus praecipue est ductus, Ephorum ex tenebris in lucem protulisse, non est infitiandum.

Post illum affero praeclaram illam fragmentorum historicorum Graecorum collectionem, quam instituerunt Carolus et Theodorus Mülleri Parisiis 1841. Qui viri ea, quae ex Ephori libris supersunt, cum versione latina operi illi inseruerunt, et in prolegomenis de Ephori vita et scriptis Marxii sententiam digno et strenuo iudicio subiecerunt. Neque omiserunt quaestionem de Ephori fide, quam omni ex parte breviter perpenderit.

Praeterea ad manum mihi fuit libellus, quem scripsit Cauerus: „Quaestionum de fontibus ad Agesilai historiam pertinentibus pars prior,“ Vratislaviae 1847, cui insunt duae commentationes de Ephoro eiusque libris, altera de Ephori fide, altera de operis Ephorei descriptione, fragmentorumque ordine inde derivando. In illa disputatione de Ephori fide multa praeclara inveni, praesertim ea, quae de Ephoro re-

prehendendo dicta sunt. Alteram vero, in qua scriptor suam sententiam de ordinandis fragmentis a Marxii gravissimis caussis abhorrentem exposuit, cum nostram ad rem nihil afferat, non habeo quod curem, et fragmentorum ordinem sequor Marxii, cum ab omnibus receptus ac maxime divulgatus sit.

Nonnullos locos inveni in Miscellaneorum criticorum ed. a Friedemann et Seebodeo tomo secundo et in Philologi a Schneidewino editi tomo octavo. Alia vero quae mihi profuerunt auxilia suo loco laudabo.

Haec vero, quae mihi praemittenda sunt visa, postquam paucis absolvi, ad rem ipsam transeo.

## CAPUT I.

### DE EPHORI PATRIA ET AETATE.

Cum mihi proposuerim, de fide tantum atque auctoritate Ephori disputare, satis erit paucis indicasse ea, quae de eius patria et aetate sunt tradita. Quarum rerum uberiore explicatione supersedere me posse eo magis confido, quod Marxius eas acutissime perpendit et diligentissime explicavit.<sup>1)</sup> Omnino autem eas res praeterire non possum, quippe quae ad illustrandam Ephori fidem aliquatenus conferant. Itaque de hisce, priusquam ad res quas Ephorus illustravit, et ad fontes e quibus eas hausit transeo, breviter agam.

Iam incipio ab illis Suidae verbis, quibus s. v. Ἐφίππος de Ephoro agit: Ἐφορος, inquit, Κυμαῖος, υἱὸς Δημοφίλου, οἱ δὲ Ἀντιόχου Ἰσοκράτους ἀκουστής τοῦ ῥήτορος, ἱστορικός. Ἔσχε δὲ υἱὸν Δημοφίλου, τὸν ἱστορικόν. ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἐννεακοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος, ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι τοῦ Μακεδόνα· ἔγραψεν ἀπὸ τῆς Ἰλλου πορθήσεως καὶ τῶν Τρωϊκῶν μέχρι τῶν αὐτοῦ χρόνων βιβλία λ'. περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν βιβλία κδ'. παραδόξων τῶν ἑκαστάχου βιβλία ιε'. εὐρημάτων ὧν ἕκαστος εὔρε βιβλία β'. καὶ ἄλλα.

<sup>1)</sup> Marxius l. l. pag. 4—24.

Hanc Suidae narrationem, cum maxima vitae momenta amplectatur, sequamur in explicandis atque illustrandis iis quas modo dixi rebus.

De Ephori patria ambigi non potest, cum eum Cumis in Aeolide natum fuisse omnia veterum testimonia prodant. Neque minus dubitare possumus Demophilum eius patrem nominare, quod et Plutarchus docet,<sup>1)</sup> et e nomine filii cui more antiquitatis nomen avi tribuebatur<sup>2)</sup> apparet, et reiciamus eorum sententiam, qui Antiochi nomen tradiderunt. De patre vero nihil scimus, nisi quod filium erudiendum Isocrati tradiderit. Sed id maximae laudi ei est vertendum, quod filium duxit ad Isocratem, „cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam et officina dicendi patuit.“<sup>3)</sup>

In definienda Ephori aetate Suidas: *Ἦν δέ, inquit, ἐπὶ τῆς ἐνεακοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος, ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι τοῦ Μακεδόνα* et sub voce *Θεόπομπος* haec legimus: *Γεγονὸς κατὰ τοὺς χρόνους τῆς ἀναρχίας Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς ἐνεακοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος, ὅτε καὶ Ἐφορος.*

Aliud disertum testimonium de Ephori aetate non exstat, nisi duo veterum loci, qui cum Suidae verbis coniungi non posse mihi videntur. Alter est apud Plutarchum:<sup>4)</sup> *Τινὲς Ἐφορον δὲ καὶ Ξενοκράτην καὶ Μενέδημον ἐπαινοῦσι, παραιτησαμένους τὸν Ἀλέξανδρον* et alter apud Clementem,<sup>5)</sup> qui postquam Heraclidarum reditum narravit, sic pergit: *Ἀπὸ τούτου ἐπὶ Εὐάλνετον ἄρχοντα, ἐφ' οὗ φασιν*

<sup>1)</sup> Plutarchus: Vitae decem oratorum pag. 366.

<sup>2)</sup> Her. VI, 131; Thucyd. VI, 54.

<sup>3)</sup> Cic. Brutus 8.

<sup>4)</sup> De Stoicorum Repugn. cap. 20.

<sup>5)</sup> Strom. I. pag. 403 Pott.

*Ἀλέξανδρον εἰς τὴν Ἀσίαν διαβῆναι, ὡς μὲν Φανείας ἔτη ἑπτακοσία δεκαπέντε, ὡς δὲ Ἐφορος ἑπτακοσία τριακοσιπέντε.* Quibus locis collatis apparet Ephorum longiorem, quam pro humana conditione fieri potuit, vitam duxisse.

Sed manifestum est, Suidam valde erravisse, sibique ipsi et aliis quos modo laudavi auctoribus repugnare. Nam quo iure eum, qui iam Ol. 93, versus finem belli Peloponnesiaci, ad adultam aetatem pervenerat, etiam ante Philippi regnum vixisse dicere potest? Praeterea fieri vix potuit, ut is, qui Ol. 93 florebat, Ol. 111, 3 in componendis historiis occupatus esset.

Attamen Marcius ex his Suidae locis eruit, Ephorum natum esse Olymp. 93, 4. Quamvis enim anarchia Athenarum vulgo ad Ol. 94, 1 referatur, potuisse tamen censet Suidam eius initium ponere Ol. 93, 4. „Nam extrema fere anni quarti Olymp. 93 parte, ait, cum Athenienses a Lysandro obsessi Theramenem ad illum misissent, isque quarto demum post mense Athenas rediisset, futuraeque pacis spem fecisset, Lysander ipse ad Piraeum appellens, Athenas in ditionem decima sexta Munychionis die accepit. Itaque mox ineunte anno primo Ol. 94 triginta tyranni a Lysandro constituti sunt, ut hoc modo Atheniensium anarchia iam exeunte Ol. 93 inceperit.“ Sed omnia haec concidunt, cum ἦν nullo modo sit „natus est,“ sed „vixit,“ „floruit,“ ut interpretatur Kuesterus. Attamen in promptu est, ex omnibus quos laudavi locis colligendum esse, maximam Ephori vitae partem in Philippi tempora et subsequencia cadere, sed initio regni Philippi Ol. 105. 2 eum virilem aetatem attigisse.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Müller: Proleg. pag. LVIII.

## CAPUT II.

## DE EPHORI SCRIPTIS.

Suidas: *Ἐγραψεν ἀπὸ τῆς Ἰλλου πορθήσεως καὶ τῶν Τρωϊκῶν μέχρι τῶν αὐτοῦ χρόνων βιβλία λ'. περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν βιβλία κδ'. παραδόξων τῶν ἑκαστάχου βιβλία ιε'. εὐρημάτων ὧν ἕκαστος εὖρε βιβλία β'. Καὶ ἄλλα.* Rationem reliquorum librorum, quos praeter historiarum affert Suidas, non habeo, cum et ambigi possit, utrum ab ipso Ephoro sint conscripti, an postea ab alio scriptore ex eius opere historico sint deprompti, et cum propter reliquiarum paucitatem de iis vix iudicari possit, in historiarumque solum libros inquiram. Itaque auctore Suida Ephorus triginta libros rerum a Troiae eversione usque ad sua tempora gestarum scripsit. Diodorus autem Siculus paullo ab eo discrepat, qui quidem in his libris res ab Heraclidarum reditu usque ad Perinthi obsidionem narratas fuisse prodidit. Legimus enim apud eum IV, 1: *Ἐφορος μὲν οὖν . . . ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δ' ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου παραθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποίησατο τῆς ἱστορίας* et XVI, 26: *Τῶν δὲ συγγραφέων Ἐφορος μὲν ὁ Κυμῆσιος τὴν ἱστορίαν ἐνθάδε κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν.* Diodoro quidem hac in re maiorem fidem habeo, cum Ephori libris, ut primario fonte sit usus, sed longius versari in componendis ac conferendis illis discrepantibus sententiis nolo, et id tantum

quod nostrae rei magis inservit indicabo, Ephorum a rebus vere historicis excluso fabularum tempore scribendi initium sumpsisse. Quodsi Diodoro assentiendum non est, qui eo quem modo laudavi loco tradidit, Ephorum omnes fabulas omisisse, tamen ex ea qua eas attulit ratione planum fit, eas solas ab eo esse adhibitas, e quibus vera historia erueretur. Sed si quaeris, cum ipsos libros Ephori inspicias, quasnam res, quorumnam potissimum populorum complexi sint historiam, Diodorum audias narrantem<sup>1)</sup>: *περιείληφε δὲ τῇ γραφῇ πράξεις τὰς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.* Num vero historiam universalem, quae dicitur, scripserit Cumaeus, quam praedicant Polybius<sup>2)</sup> et Diodorus,<sup>3)</sup> nostra aetate addubitatum est. Cum enim veteres alios historiae universalis constituerint fines ac nos, idque nomen libris Graecam tantum et Romanam historiam complectentibus indiderint exclusa barbarorum, Creuzerum ac Marxium, qui libris universalis historiae vindicant nomen, temere sequi non possum, sed inquirendo in reliquias reperiamus ac cognoscamus oportet, quomodo barbarorum complexi sint historiam. Et Marxius quidem ipse collatione reliquiarum ostendit, tribus vel quattuor libris omnem barbarorum historiam fuisse inclusam, reliquos omnes libros Graecorum historiam continuisse. Hoc loco mihi non alienum esse videtur paucis indicare, quae singulis libris fuerint exposita.<sup>4)</sup> Primo libro Heraclidarum enarravit reditum, et rerum in Peloponneso commutationem. Tum reliquae Graeciae memoria libro secundo, coloniarum

<sup>1)</sup> Diod. Sic. XVI, 76.

<sup>2)</sup> Polyb. V, 33.

<sup>3)</sup> Diod. Sic. IV, 1; V, 1.

<sup>4)</sup> Sequor Marxii commentationem de Ephori scriptis pag. 24—30.

inde in Asiam expeditionem libro tertio exposuit. Libro quarto Europam, libro quinto Asiam et Africam descripsit. Quid vero liber sextus continuerit, dici nequit. Liber septimus antiquissimas Siciliae, id est, barbaras memorias complexus est. Liber octavus populorum, qui Asiae deinceps imperium tenebant, vices continuisse videtur; Assyriorum, Lydorum, Persarum ad Darium usque. Liber nonus Amazonum, Scytharum, quaeve Pontum, borealesque illas terras incoluerint, gentium primordia, vicissitudines, migrationes comprehendit, unde per Thraciae Thessaliaeque populos reditus factus est ad Graeciae res. Tum Graeciae fata, resque a Graecis gestas, vix usquam interrupta serie, ad Philippi adeoque suam usque aetatem prolixiori descriptione per libros XX enarravit.

Hac ipsius Marxii expositione nemo non videt fere omnes libros Graeciae historiae fuisse destinatos. Quapropter assentior Heerenio et Ulricio<sup>1)</sup>, qui contendunt, toto opere Graecam tantum historiam narratam fuisse, cui tribus libris digressiones et narrationes de barbaris admixtae fuerint. Porro ex veterum more saepenumero in historiarum libris reperimus digressiones, ut in Herodoteo opere res gestae barbarorum sunt enarratae. Ea veterum consuetudo e studio exornandi, pingendi, variandi est profecta, fontemque habuit in antiquorum scriptorum scribendi ratione subtili et artificiosa.

Pauca de operis forma addo. Diodorus Siculus narrat<sup>2)</sup>, totum Ephoreum opus in triginta libros divisum fuisse, praemisso singulis libris prooemio. Sed si quaerimus, qua ra-

tione res per singulos libros distributae sint, Diodorus iterum nobis dux erit. Initio enim libri XVI ait: *Τῶν γὰρ βιβλῶν ἐκάστην πεποίηκε κατὰ γένος περιέχειν τὰς πράξεις*, quare se librum quintum *νησιωτικὴν* appellare. Itaque Ephorus res *κατὰ γένος* per libros suos distribuit, id est, singulis libris seriem quandam, ut ita dicam, rerum genere cohaerentium atque cognatarum adscripsit, quod Heynius<sup>1)</sup> ita describit: „Libros secundum populorum historias, adeoque per distinctas operis partes dispescuit.“ Attamen Ephorus minime neglexit temporis rationem, qua in exponendis rerum ordine atque nexu nullus scriptor carere potest, etsi illae res, quae natura potius quam tempore cohaerebant, dividendi opus in partes et libros ansam praebuerunt. Denique ex illo loco, quem modo e Diodori libro XVI attuli, colligere possumus, singulis libris nomina fuisse impertita. Quod et Strabo<sup>2)</sup> confirmat, qui libri quarti nomen Europae nobis servavit.

Hisce explicavisse mihi videor, quid Cumaeus sibi proposuerit et quem finem respexerit, nunc vero, qua ratione institutus fuerit, quibus moribus, quibus ingenii viribus ad condendas historias accesserit, breviter examinandum erit.

<sup>1)</sup> Heynius: De font. Diodori pag. 79.

<sup>2)</sup> Strabo VII. pag. 463.

<sup>1)</sup> Ulrici: Charakteristik der antiken Historiographie, Berlin 1833.

<sup>2)</sup> Diodor. Sic. XVI, 76.



## CAPUT III.

DE EPHORI INSTITUTIONE, MORIBUS, INGENIO,  
quatenus ad historiam conscribendam apta fuerint.

Constat, Ephorum plurimos vitae annos Athenis vixisse, ibique in litteras incubuisse. Ineunte adolescentia erudendus a patre ad Isocratem adductus est. Sed res aliter ac pater speraverat evenit. Nam Plutarchus docet, eum haud multum profecisse in litteris, sed egressum e schola Isocratis a patre reductum esse: *Τοῦ δὲ, inquit, Κομμαίου Ἐφόρου ἀπράκτου τῆς σχολῆς ἐξελθόντος, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς Δημοφίλου πεμφθέντος ἐπὶ δευτέρῳ μισθῷ, παιζῶν Διφορον αὐτὸν ἐκάλει.* Sed idem Plutarchus auctor est, Ephorum, ne denuo patris spem falleret, maiore nisu eloquentiae se dedisse. Pergit enim: *Ἐσπούδασε μέντοι ἱκανὸς (ικανῶς) περὶ τὸν ἄνδρα, καὶ τὴν ὑπόθεσιν τῆς χρείας αὐτὸς (αὐτῷ) ὑπεθήκατο.* Neque vero tum prospero eventu caruit. Legimus enim apud Menandrum Rhetorem,<sup>1)</sup> illum paulo post inter discipulos Isocratis eminuisse, et in *ἀμίλλαις λόγων* corona ornatum fuisse.

Sed Isocrates bene perspexit, naturam discipuli ad strepitum forensen parum accommodatam esse, sed magis idoneam

existimavit ad scribendam historiam. Atque adeo Seneca narrat, illum ab Isocrate iniecta manu e foro esse subductum. „Considerandum est, inquit, utrum natura tua agendis rebus, an otioso studio contemplationique aptior sit, et eo inclinandum, quo te vis ingenii defert. Isocrates Ephorum iniecta manu e foro subduxit, utiliore componendis monumentis historiarum ratus.<sup>2)</sup>“ Etsi Senecae verbis haud magnam fidem habere possumus<sup>3)</sup>, id tamen perspicuum est, Ephorum sedato atque tranquillo animo et minus acri ingenio caussis dicendis imparem fuisse, eamque ob causam ab Isocrate a studiis eloquentiae ad historiae esse impulsam. Quod idem apud Ciceronem legimus: „Duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsivi se ad historiam contulerunt, caussas nunquam attigerunt.“<sup>4)</sup>

Praeterea Plutarchus et Photii duo loci<sup>4)</sup> eandem rem narrant, quorum alterum affero, cum nos doceat, Isocratem Ephoro antiquiorem Graeciae historiam enarrandam proposuisse, Theopompo vero sui temporis: *Καὶ τὰς ἱστορικὰς δὲ ὑποθέσεις τὸν διδάσκοντα αὐτοῖς προβαλεῖν. τὰς μὲν ἄνω τῶν χρόνων Ἐφόρω, Θεοπόμπῳ δὲ τὰς μετὰ Θουκυδίδην Ἑλληνικὰς, πρὸς τὴν ἑκατέρου φύσιν καὶ τὸ ἔργον ἀρμοσάμενον.* In hoc loco Isocratis de Ephoro sententia expressa est. Ille perfectus magister, postquam discipuli sui sedatum

<sup>1)</sup> Seneca de tranq. an. cap. 6.

<sup>2)</sup> Marcius suspicatur, Senecam Ephorum nominasse pro Theopompo, de quo Quintilianus X, 1, 74: Theopompus . . . oratori magis similis, ut, qui antequam ad id opus sollicitatus diu fuerit orator. Mihi autem Mullerus proleg. pag. LVIII illa verba: „iniecta manu subduxit“, vix proprie posse accipi iure videtur contendere.

<sup>3)</sup> Cic. de orat. II, 13.

<sup>4)</sup> Bibl. cod. pag. 1455. — Bibl. cod. 176 pag. 204.

<sup>1)</sup> Plutarchus: Vita Isocratis, Moralia pag. 837. B.

<sup>2)</sup> Menander Rhet. *Διαρσεις ἀποδεικτ.* pag. 626. Ald., L. Spengel: Rhet. Gr. t. III. pag. 398.

atque placatum animum bene perspexit, prioris aetatis res gestas enarrandas atque causas investigandas ei commisit, quippe qui omnium sui temporis perturbationum oblitus, in res priores se prorsus immergere posset.

Hoc loco haud alienum erit, paucis de Ephori moribus disputare. Et illa quidem Suidae: <sup>1)</sup> Ὁ μὲν Ἐφορος ἦν τὸ ἦθος ἀπλοῦς praemittam, cum breviter omnia contineant, quae Ephori indolem designent. Ephorus simplicibus moribus atque sincero animo praeditus omni insolentia atque iactatione animi vacabat, modestus, lenis, placidus erat. Quamobrem Isocrates in Ephoro se calcaribus uti solere dicebat, in Theopompo contra frenis. <sup>2)</sup> Itaque ex moribus colligendum est, Isocratem sapienter id egisse, ut Ephorum a forensibus controversiis removeret, et ad historiam pristini temporis eius animum adverteret. Sed cum talibus moribus non coniunctum erat acre ingenium, sed obtusius atque hebetius, quod Graeci omnibus Cumacis tribuebant, <sup>3)</sup> eoque plerumque adductum est, ut in veri investigatione credulitati indulgeret, eaque, quae ab aliis scriptoribus relata inveniebat, bona fide et face critica haud illustrata referret. Idcirco acriores reprehensiones effugere non potuit, quas tamen omnes ad prioris aetatis historiam et ad res geographicas referendas esse postea demonstrabo. Diodorus Siculus: <sup>4)</sup> Ἄλλα γὰρ οὐκ, inquit, ἂν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου τ' ἀκριβές, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὀλιγορηκότα τῆς ἀληθείας. Similia apud Strabonem legimus: <sup>5)</sup> Ταῦτα δε λέγω σαφῶς

<sup>1)</sup> Suidas s. v. Ἐφορος.

<sup>2)</sup> Cic. de orat. III, 9.

<sup>3)</sup> Strabo XIII pag. 622.

<sup>4)</sup> Diod. Siculus I, 39.

<sup>5)</sup> Strabo V pag. 375.

μὲν εἰδὼς, ὅτι καὶ οὗτος (Ἐφορος) οὔτε ἀληθέστατα λέγει περὶ πάντων. Et Seneca: <sup>1)</sup> Ephorus non religiosissimae fidei, saepius decipitur, saepius decipit. Dubitationem movent, quae prodit Schol. ad Homeri Iliadem IX, 381: εἰ πιστὸς Ἐφορος, et Aristides: <sup>2)</sup> Δῶμεν ἀληθῆ λέγειν Ἐφορον. Quod vero Timaeus Ephorum in plurimis mendacii redarguerit, <sup>3)</sup> et Alexinus librum contra eum scripserit, <sup>4)</sup> non ita magni facias, cum uterque calumniandi arte apud veteres tam notus esset, ut alter ob maledicentiam et conviciandi studium Ἐπιτίμιος cognominaretur, alter vero Ἐλεγεῖνος. Porro Strato quidam Peripateticus, magister Ptolemaei Philopatoris, contra Ephori *Ἐσθήματα ἐλέγχους δύο* edidit. <sup>5)</sup> Apud Plutarchum denique Heraclides Ponticus Ephorum convincit, eum Artemonis aetatem non recte constituisse. <sup>6)</sup>

Harum reprehensionum quid verum, quid falsum sit, partim in medio relinquimus, partim postea explicabimus, id vero certum est, earum plurimas causam habere in Ephori animo minus acri. Nihilominus ratione temporis, quo Ephorus ad historiam conscribendam accessit, nonnulla vitia explicanda sunt. Nam, cum post bellum Peloponnesiacum factionum cupiditates rerum fundamentum evertissent, atque adeo singulorum virorum ambitio omnia regeret, quis neget, talis aetatis scriptorem altiores rerum causas ignorare, rerum necessitatem atque nexum evertere. Istius vitii exempla in Ephori reliquiis multa cognosci possunt, praecipue in

<sup>1)</sup> Seneca: Nat. quaest. VII, 19

<sup>2)</sup> Aristides t. II pag. 353.

<sup>3)</sup> Apud Ioseph. c. Ap. I, 3

<sup>4)</sup> Diogenes Laert. II, 110

<sup>5)</sup> Index auct. Plin. Nat. hist. VII.

<sup>6)</sup> Plutarchus: Vita Periclis cap. XXVII. p. 167. B.

iis, quae de migrationibus et coloniis dicta sunt. Nusquam enim caussas, quibus coloniae re vera profectae sunt, reperimus, ut nimiam multitudinem hominum, aut seditiones, aut perturbationes, sed ubique cupiditatem atque libidinem singulorum ducum atque principum fontes nominat. fr. 28, 29, 31. De hoc vitio Odofredus Müllerus mihi recte iudicare videtur:¹) „Aber wie wenig erkennt man doch die alterthümliche Einfachheit und Naivetät, die der Reflexion unbedürftige Sicherheit und Nothwendigkeit des Thuns, welche alle Ueberlieferungen aus jener Zeit darstellen, in Ephorus, Hermitippos und ihrer Nachfolger Darstellungsweise. Diese hatten die Tendenz, das Andenken des Alterthums möglichst der Zeitgeschichte zu assimiliren, und das Bestreben, jede Thatsache aus irgend einer einzelnen Ueberlegung, aus einem Räsonnement, wie es ihrer Zeit gemäss war, hervorgehen zu lassen; sie haben wahrhaft schonungslos den edlen Rost der alten Tradition abgerieben, und, die bewegenden Grundideen jener Zeit verkennend, die erhaltenen Thatsachen in einen modern-pragmatischen Zusammenhang hineingezwungen.“

Ex eodem fonte profectum est illud etiam, quod in enarrandis rebus levitati indulgebat, easque potissimum afferebat, quae maxime oculis obversabantur. Exemplum illustre praebet fr. 119, quo caussae belli Peloponnesiaci narrantur atque explicantur. Ne ullo quidem verbo eae caussae commemorantur, quibus gravissimi scriptores bellum illud exortum esse perhibent, sed tales tantum, quae ex unius Periclis libidine atque astutia sunt profectae. Legimus enim apud Diodorum XII, 38—41 ex Ephoro: Athenienses iam maris imperium sibi vindicantes, coactas ex communi Graecorum

¹) Dorer I pag. 137.

contributione pecunias in Delo depositas, ad octo millia talentorum Athenas transtulisse, easque Periclis fidei custodiendas tradidisse. Ipsum vero aliquanto post, magna eius parte in privatos usus expensa, cum rationem populo reddere iussus satisfacere non posset, in morbum incidisse. Animi dubio et moerore conturbato avunculo Alcibiadem suasisse, ut Athenienses gravi alicui bello implicaret, qua re futurum esset, ut ipse, distracta variis negotiis civitate, metu etiam percussa, rationem subterfugeret. Ita Periclem, sentientem occasionem bellum conflandi mox datam arripuisse, et quae in suum commodum moliretur, in iis se patriae salutem spectare Atheniensibus gravi oratione persuasisse.

Haec potissimum sunt vitia, in quae Ephorus saeculi moribus obsecutus incidit. Sed ex eadem temporis ratione in Ephoro nonnullae virtutes sunt cognoscendae. Recte Cauerus contendit,¹) Ephorum iisdem saeculi moribus, qui effecerint, ut praecedentium aetatum naturam perspicere non potuerit, ad saeculum suum penitus cognoscendum maxime idoneum fieri debuisse, quod post belli Peloponnesiaci finem re vera talis fuerit rerum status, tales hominum animi, talia agendi consilia, qualia Ephorus superioribus saeculis adscripserit. Porro Ephorus, etsi commorabatur Athenis inter eos, qui partium studio dediti erant, cum tamen procul a factionibus civilibus studiis rhetoricis et postea historicis deditus esset, ipseque alia urbe oriundus, quae illarum contentionum expers erat, tranquillo quo erat atque sedato animo bene rerum statum volvere, indeque multum emolumentum percipere poterat. Praeterea Athenas tum temporis non solum totius Graeciae viri praestantissimi conveniebant, sed etiam omnes Graeciae res in illam urbem quasi in me-

¹) Cauerus l. l. pag. 61.

dium totius Graeciae locum confluebant. Ab illa urbe principe omnis Graeciae historia pependerit omnibus saeculis, ibique omnium temporum res praecclare gestae monumentis et inscriptionibus celebratae. Plura ibi loca commemorantur, quibus tabulae publicae posteris reservabantur, et in arce ingens vis *ψηφισμάτων* congesta fuit. Ephorum autem illa monumenta non neglexisse, ut plerique sui temporis scriptores,<sup>1)</sup> sed diligenter et accurate ea perscrutatum esse Strabo refert.<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Niebuhr: Vorlesungen über alte Geschichte I pag. 211.

<sup>2)</sup> Strabo X pag. 711.

## CAPUT IV.

### DE FONTIBUS E QUIBUS EPHORUS HAUSIT, ET DE FIDE EIUS INDE DIUDICANDA.

Recte Heynius:<sup>1)</sup> „Fides, inquit, huius scriptoris haud dubie in diversis operis partibus diversi momenti esse debuit, et inique de eo iudicatum est universe vel ex una vel ex altera parte. Nam in recentissimis historiis ea tradidisse censendus est, quae ipse viderat vel audierat, antiqua vero ex aliis scriptoribus comparatione et iudicio facto composuisse.“ Quodsi igitur inquirere volumus in Ephori fidem discernenda erunt ea, quae ipse vidit vel audivit ab iis, quae aliorum auctoritatem secutus tradidit. In illis Cumaei candorem animi studiumque veri admireris. Nihil enim invenies, nisi quod simpliciter relatum, haud admixta ipsius scriptoris sententia, aliorumque gravissimorum auctorum testimoniis satis comprobatum sit, in his autem, cum eius diligentiam et curam cognoverimus, tota nostra quaestio versabitur in eo, qua ratione e fontibus hauserit, et quorum auctorum vestigiis maxime institerit.

Ephorus, ut supra dixi, tantopere abhorruit a vulgari fabulas enarrandi cupiditate, ut illis omissis scribendi ini-

---

<sup>1)</sup> Heynius: De fontibus Diodori pag. 79 ed. Bip.

tium sibi inde sumpserit, ubi vera ac fide digna reperire potuit, ab Heraclidarum reditu, quod mihi luculentissimum fidei testimonium esse videtur. Sed Graecae historiae primordia tam fabulis fuerunt involuta, ut Ephorus supersedere non potuerit, quin ad *μύθους* descenderet, in iisque versaretur. Illos autem *μύθους* constat eo modo libris Ephoreis esse immixtos, quo rebus historicis recte intellegendis inserviebant. Huc spectant illae reliquiae de Hercule: fr. 8, 9, 10. Sed facile intellegi potest, illum non, ut vulgo fiebat, fabulas simpliciter ac sine iudicio narravisse, sed illustratas arte critica. Aetatis enim sua natura et Isocratis scholis rhetoricis impellebatur ad inquirendas rerum causas, investigandasque origines, et ex illo studio effluxisse putanda sunt ea, quae fabularum in primis libris inveniuntur. Ceterum ad explicandas fabulas cum sincero et simplici animo accessit, quod e pluribus locis qui adhuc supersunt conspici potest, fr. 63, 64, 70. Hi loci digni sunt qui legantur, quippe quibus Ephori studium erigendi ad historiae veritatem eas fabulas, quae aut dicendo propagabantur, aut vetustis carminibus erant celebratae, maxime eluceat.

Nam fr. 63 narrat: Minoem fuisse imitatore[m] cuiusdam prisici Rhadamanthios, iustissimi viri, qui primus insulam (Cretam) feratur mansuefecisse legibus condendis et urbibus ac rebus publicis: cum fingeret, se a Iove afferre singula quae promulgaret decreta. Illum ergo aemulatum Minoem, cum per annos novem in antro Iovis esset commoratus, conscripta quaedam praecepta attulisse, quorum auctorem Iovem faceret. Itaque et Homerum de eo sic scripsisse: (Od. XIX, 178.) — *Ἐνθάδε Μίνως*

*ἐνέωρος βασιλευε Διὸς μεγάλου δαριστής.*

Similiter fr. 70, quo loco de origine oraculi Delphici agit, cum insectatus esset eos, qui in scribenda historia fabulis gauderent, absurdum est, inquit, si veritatem aliis in

rebus sectantes, de oraculo dicturi omnium veracissimo, ita incredibilibus et falsis utamur narrationibus. Hic statim subiicit, opinionem receptam esse, Apollinem cum Themide oraculum istud condidisse, cum prodesse humano generi vellent. Oracula edere, inquit, censent alii, Apollinem adsumpto corpore, alii, quod hominibus suae voluntatis notitiam inderet. Deinde exponit, quomodo Apollo in terra ambulans homines docuisset frugibus uti et ratione victus mitiore.

Eiusdem rationis fabulas explicandi exempla inveniuntur apud Theon. Progymn. VI. pag. 60 et Etym. M. s. v. *Ἐποιομένην*, quae tamen, ne longior sim, hoc loco praeterire debeo. De fragm. 64 postea cap. V. amplius mihi erit dicendum.

Sed ne credas Cumaeum ubique temere secutum esse qualemcumque narrationem, aut poetarum fictiones, aut aequalium suorum de rebus antiquissimis commenta respicias ad illam formulam, qua in diiudicandis ac perpendendis auctorum verbis utebatur, quam Harpocration<sup>1)</sup> servavit: *Περὶ μὲν γὰρ τῶν κατ' ἡμᾶς γεγενημένων, φησί, τοὺς ἀκριβέστατα λέγοντας πιστοτάτους ἡγούμεθα, περὶ δὲ τῶν παλαιῶν τοὺς οὕτω διεξιόντας ἀπιθανοτάτους εἶναι νομίζομεν, ὑπολαμβάνοντες οὔτε τὰς πράξεις ἀπάσας, οὔτε τῶν λόγων τοὺς πλείστους εἰκὸς εἶναι μνημονεύεσθαι διὰ τοσούτων.* His verbis Ephorum suam de iudicanda auctorum fide sententiam diserte profitentem videmus, sed ab illa norma interdum non solum aberravit, sed prorsus eius contrarium fecit,<sup>2)</sup> plurimis quidem locis, ut mihi videtur, infirmitate ingenii atque imbecillitate consilii inductus. Quod ut concedas prae aliis conferas fr. 70, quod modo exposui, in quo Strabo, qui Ephori verba

<sup>1)</sup> Harpocration s. v. *Ἀρχαίως*.

<sup>2)</sup> Strabo IX. pag. 646.

nobis servavit IX pag. 646, antequam Ephori sententiam de oraculo Delphico affert, Cumaeum ait *τὰναντία ποιεῖν ἔσθ' ὅτε τῇ προαιρέσει καὶ ταῖς ἐξ ἀρχῆς ὑποσχέσεσιν.*

Iam vero quaestio nostra eo deducta est, ut inquiramus, e quibus fontibus Ephorus potissimum hauserit, quos auctores prae aliis sit secutus. Ex illa quam modo dixi regula recte Car. Müllerus<sup>1)</sup> suspicari mihi videtur, Ephorum non tam ipsa vetusta carmina, quam qui ex ipsis hauserint logographos, qui dicuntur, usurpavisse. Epica enim sunt carmina, quae uberius ac longius facta priorum temporum describebant ac sine distinctione vera et ficta promiscue proferebant. Probabilius est, Cumaeum logographorum, qui, quamquam ex illis carminibus sua sumpserant, tamen ea quae illis carminibus erant descripta examinaverunt atque in breviorum formam redegerunt, vestigiis institisse. Attamen ex eadem illa nota mihi eruere posse videor, illa ipsa carmina Ephoro fuisse nota. Heynius<sup>2)</sup> carmina aliquot pervetusta recenset: „Heracleae, Ἀλκμαίωνις, Εὐρωπία, Μινυάς, ὁ Αἰγίμιος, Φορωνίς, Λαονίς, Θησῆις, τὰ Ἀμαζονικά,“ quae carmina vel praeiorum regum heroumque progeniem enumerabant, vel regionum singularum historiam celebrabant. Id vero omnibus fuit commune, ut veteres popularium narrationes, quae ore hominum adhuc ferri solitae erant, versibus includerent et ornarent, eoque historiae fundamenta ponerent. Itaque facillime Ephorus in id commentum incidere poterat, ut fabulas tamquam res gestas acciperet easque explicare atque caussis illustrare studeret, praesertim cum illis carminibus res vere historicae ut nucleus tegumentis includerentur. Praeterea

<sup>1)</sup> Müllerus: Proleg. ad Ephorum pag. LXX.

<sup>2)</sup> Heynius: Comment. de Apoll. Bibl. I pag. 31 et 35.

laudantur Homeri versus, II. II, 856 (fr. 87) quos, ut ad suam sententiam accommodaret, temeraria et violenta coniectura deformavit, et II. 13, 5 (fr. 76) una cum Hesiodi carmine *Γῆς περιόδος* et Choerili carmine de Scytharum rudibus moribus et de eorum iustitia et aequitate. Praeterea testes excitat Homerum et Hesiodum apud Strabonem<sup>1)</sup>, (fr. 54) quo loco narrat, Dodonam a Pelasgis conditam esse, Pelasgos autem auctore Hesiodo ex Arcadia ortos esse. Denique ad Homeri auctoritatem provocat apud Strabonem X pag. 730 (fr. 63) loco vere memorabili, quo et docemur Ephorum Odysseam (XIX, 178) inspexisse, et bona fide Homerum in puerili fabularum interpretatione secutum esse. Saepenumero igitur Homeri carmina adhibuit, praecipue autem in rebus geographicis, quod postea demonstrabo (fr. 38, 45). Praeterea Alcmanem cognovit, ut ex descriptione belli cum Messeniis gesti apparet. cf. Strabo VI pag. 427 (fr. 53). Ephorus hoc loco Tyrtaeum, cuius ipsius versus attulit, testem provocat, Messanam undevicesimo anno esse captam.

Alterum fontium genus Ephoro fuerunt oracula et inscriptiones. Oracula referunt ex Ephori libris Strabo VIII pag. 574 (fr. 59) de Calauria insula ante Troezenem sita; Stephanus s. v. Ἀλιεῖς (fr. 98) de Helice, urbe Laconiae maritima; Schol. Pindari Pyth. V, 101, fr. 11 et 13 de duabus expeditionibus Aegidarum Thebis Spartam factis; Atheniensis VI pag. 232 D ex Ephori libro XXX aut e Demophili filii libro de facto Onomarchi et Phaylli et Phalaeci fr. 155.

De inscriptionibus supra verba feci, cum indicarem, quanta auxilia Ephoro Athenis ad manum fuerint. Neque vero Ephorum diligentem antiquitatis investigatorem effugere potuerunt illa praeclara monumenta statuarum, quibus et ipsae

<sup>1)</sup> Strabo VII pag. 504.

pugnae erant incisae et inscriptiones ad celebrandos duces Graecorum victores. Atque ipsius Ephori verbis scimus, eum multum diligentiae et curae adhibuisse de inquirendis inscriptionibus atque epigrammatis; exstat ipsius iudicium de inscriptionibus, quod apud Strabonem legimus X pag. 711 (fr. 29): *Παραιθεῖς μαρτυρία τὰ ἐπιγράμματα — ἐπιλέγει, ὅτι ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα διακριβοῦν εἰώθαμεν ὅταν ἢ τὶ τῶν πραγμάτων ἢ παντελῶς ἀπορούμενον, ἢ ψευδῆ δόξαν ἔχον.* Cuius ἀκριβείας, quam sibi ipse tribuit, testimonium perhibent illa duo epigrammata, quibus et Aetolorum animum bellicum et cognationem Epeorum cum Aetolis describit, quorum alterum Thermis Aetoliae, alterum in foro Epeorum erat inscriptum. Quapropter Strabo X. pag. 711 Ephorum laudibus effert, qui non solum ex horum epigrammatum collatione cognationem Eleorum cum Aetolis demonstraverit, sed etiam repererit, alteram vicissim alterius gentis auctorem fuisse, eosque mendacii convicerit, qui Eleos Aetolorum coloniam, non item Aetolos Eleorum fuisse affirmaverint.

Haec vero de poetis et de fontibus versibus conscriptis. Priusquam nos ad alterum genus fontium, ad prosae orationis scriptores convertamus, pauca praemittere mihi liceat. Consideranti mihi nonnullarum reliquiarum naturam Ephorus magnam copiam rerum dicendo accepisse videtur. Narrationes enim antiquis temporibus plus quam nostris diebus a patre ad filium transferebantur atque propagabantur. Pausanias nobis ipse profitetur,<sup>1)</sup> se non minimam historiae librorum partem debere ἐξηγηταῖς, tum sacrorum et oraculorum interpretibus, tum mystagogis, qui, ut ait Cicero,<sup>2)</sup> hospites ad ea quae videnda erant ducere et unumquodque iis ostendere

solebant. Ephorus ab huiusmodi hominibus magna ex parte accepisse videtur oraculorum interpretationes, illa proverbia ac commenta, quae e priscorum temporum rebus gestis derivata ad posteriora saecula permanserunt. Ex eodem fonte fluxisse videntur illae horrendae ac mirandae fictiones, quas de terrae partibus remotioribus et de populis, qui nondum bene erant noti, affert. Nam ii qui e terris remotis Athenas venerunt cupidissime audiebantur, nautarum et peregrinantium, qui non raro res in maius augebant, verba avidissime excipiebantur atque propagabantur. Accedit, quod historicis Graecis inerat studium enarrandi θαύματα, quod tantum erat, ut ne gravissimi quidem scriptores ab eo prorsus absolvi possint.

Itaque, si ad illa praesidia respicimus quae attuli, quid Ephorum iuvare potuerint, et quomodo ex iis Ephori fides sit diiudicanda, haud omni dubitatione vacare possum. Epica enim carmina, quamquam Ephorus ea potissimum secutum esse negavi, cum in heroum expeditionibus et erroribus enarrandis versarentur, ut Homeri, vel priscorum regum heroumque progeniem exponerent, ut Hesiodi, vel historiam singularum gentium celebrarent, vera et ficta commiscebant, et logographis materiem fabulis abundantem praebebant. Praeterea de oraculorum responsis quid dicam? Ea, quibus Ephorus usus est, partim posterioris aetatis commenta mihi videntur, (fr. 30) partim inventa sunt a popularibus, ut locum quo consederant ad sacram originem reducerent (fr. 59 et 98) aut rem aliquam gestam celebrarent. (fr. 11.).

Idem valet de mythographis, ut hoc vocabulo utar. Illi, qui ut ait Thucydides<sup>1)</sup>, ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον

<sup>1)</sup> König: De Pausaniae fide et auctor. Berl. 1852. pag. 16.

<sup>2)</sup> Cic.: Verrin. III, 59.

<sup>1)</sup> Thucydides I, 21.

τῆ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον fide digniora illi praeberere non poterant. Nam artis criticae ignari, cum oratione soluta sibi tradenda proposuissent, quae poetae oratione vincata nar- ravissent, et in hoc illos sunt secuti, ut vera cum fictis commixta memoriae proderent. E quibus quos potissimum respexerit Ephorus, definiri nequit, fortasse eos qui geo- graphiam tractaverunt, ut Hecataeus, Charon, Xanthus, qui postquam diu in itineribus fuerunt, res memorabiles cuiusque terrae, et mores et instituta singulorum populorum descri- pserunt. Porro Hellenicum novit, quem mendacii coarguit. Iosephi contra Apionem verba sunt I, 3: Ἐφορος μὲν Ἑλλά- νικον ἐν τοῖς πλείστοις ψευδόμενον ἐπιδείκνυσι. Praeterea Pherecydem cognovisse videtur, cuius auctoritatem in rebus ad Ephesum pertinentibus provocat Strabo<sup>1)</sup> (fr. 31.) Deni- que in describendo primarum rerum a Graecis gestarum tempore Democriti sententiam Ephorum secutum esse per- hibent.<sup>2)</sup> Eiusdem Democriti vestigiis instituisse fertur in illa narratione de cometa memorabili,<sup>3)</sup> quam apud Senecam legimus.<sup>4)</sup>

In illis ergo, quae Ephorus de Heraclidarum reditu et de primordiis Graecarum civitatum scripsit, etsi praecipuum auctorem et ducem propter inopiam reliquiarum cognoscere non possumus, e fontibus puram et meram historiam haurire non potuit, quippe quibus tota Heraclidarum expeditio fa- bulis conspersa contineretur. Sed alia inquisitio nostra erit magisque nos delectabit, cum eius libros perlegamus aut de rebus suae aetatis, aut quarum ab aliis certam notitiam

habere poterat. Neque vero iis in rebus temere ac sine electione e fontibus hausit, sed secundum illam legem, quam Polybius<sup>1)</sup> nobis servavit: Ὁ μὲν γὰρ Ἐφορός φησιν εἰ δύναι- τόν ἦν αὐτοὺς παρεῖναι τοῖς πράγμασιν, ταύτην δὲ διαφέρειν πολὺ τῶν ἐμπειριῶν. Prae ceteris nomino Herodotum, Thucydidem, Ctesiam, quorum vestigia in Ephori libris in- veniuntur, quamquam ipse suos fontes numquam laudavit. Ut ab Herodoto incipiam, maxima inter eum et Ephorum similitudo cognosci potest in rebus ad geographiam pertinen- tibus. Conferas quaeso, quae apud utrumque leguntur in descriptione terrae incolarumque remotiorum fr. 38 et Her. VII, 70. Quae similitudo nonnullis locis, quibus res historicae tractantur conspici potest, velut fr. 103, qui locus congruit cum Her. IX, 27, de Amazonibus, et fr. 112 de pugna apud Salamina, e qua Aeginetae fortitudinis praemia abstulisse ab utroque dicuntur cf. Her. VIII, 93. Sed ne credas Ephorum ex Herodoti libris res sine iudicio transcripsisse, obvii sunt multi loci, quibus suum ipsius iudicium ab Herodoti seiun- xisse elucet. Et primum quidem in comparisonem voco fr. 111 et Herodoti narrationem de Gelone VII, 11. Herodotus negat Gelonem Graecis auxilio venturum fuisse, quia ipsum ducem habere nolissent, et addit Siculorum opinionem, eum postea consilium mutavisse et Graecis auxilium laturum fuisse, nisi Carthaginiensium impetu prohibitus fuisset. At Ephorus narrat, Gelonem ad societatem cum Graecis propen- sum fuisse, illique cum ad bellum se paravisset nuntiatum esse, Carthaginiensium classem navigavisse in Siciliam, commissam esse pugnam navalem, qua non modo Siciliam liberavisset sed etiam Graeciam universam.

<sup>1)</sup> Marcius pag. 134.

<sup>2)</sup> Ten Brink: Philologus VI pag. 589.

<sup>3)</sup> Stiehle: Philologus VIII pag. 617.

<sup>4)</sup> Seneca: Quaest. nat. VII, 16.

<sup>1)</sup> Polybius XII, 27.



Neque minus differunt in narratione de Pari insulae obsidione. Herodotus enim ait, Miltiadem, cum Parii ad resistendum se paravissent murósque aedificassent, insulam invasisse, sed a Timone, templi ministra, frustra adiutum, graviter laeso femore infecta re reversum, accusatum domi et pecunia multatum esse VI, 132. Ephorus autem narrat, Miltiadem illam urbem diu obsidione cinctam habuisse, sed, cum iam caderent muri Pariique paciscerentur urbem tradere, silvam quandam fortuito circa Myconum incensam esse, Pariosque, ratos Datin ipsis signum dare ne urbem traderent, pacta irrita fecisse atque urbem Miltiadi non tradidisse cf. fr. 107.

Addo fr. 113 e Plutarchi libro: De malignitate Herodoti cap. 36 pag. 869. Ab Herodoto dissentiunt e vestustioribus scriptoribus Hellanicis, e recentioribus Ephorus, cum alter sex, alter quinque navibus ipsos Naxios auxilio venisse Graecis scribat.

His quidem ostendere studui, Ephorum interdum discrepare cum Herodoto, et aut eorum, qui ab eo diversa tradiderant, praetulisse sententiam aut proprio Marte res fama acceptas libris suis inseruisse.

Idem valet de Thucydide. Diodorus enim Siculus nobis auctor est, Ephori narrationem uno loco vel in minimis congruere cum Thucydidis, tantamque inter ambos esse similitudinem, quam non nisi mutuando ac transcribendo explicare possimus. Diodorus Siculus XII, 39 agit de intercessione Lacedaemoniorum in rebus Megaricis, et cap. 40 Periclem omnia Atheniensium subsidia enumerantem inducit. Thucydides I, 139 idem refugium Megarensium ad Lacedaemonios narrat, et II, 13 eadem prorsus ratione, et interdum iisdem fere verbis Periclis orationem affert ac Diodorus.

Uterque multitudinem sociorum enumerat eorumque annua tributa; vim opum Delo Athenas transvectarum quin-

genta talenta e spoliis Medicis, ornamenta in templis aliisque civitatis aedificiis, aurum in simulacro Minervae, robora civium per diuturnae pacis tempora aucta, militum et navium numerum. — In his mira consensio, in paucis solum numeris parva discrepantia est. Attamen Diodorus scribit initio cap. 41, haec omnia ex Ephoro fluxisse, (fr. 119,) quapropter is locus maximo argumento est, Ephorum Thucydidis libros cognovisse. Videtur Ephorus Thucydide quodammodo ut fundamento usus esse, et populi narrationes respexisse, eaque quae cum illo discrepantia tradidit, ex hoc fonte sumpsisse. Nam quae de caussis belli Peloponnesiaci affert, tantum discedunt a Thucydidis simplici et veri speciem prae se ferente narratione, ut Cumaeus leves narratiunculas cum rebus historicis haud magna cum arte critica permiscuisse videatur.<sup>1)</sup> Quo ex opere hausta sint illa, quae de Pericle disserit, invenire non potui, fortasse ad Ephorum referre possumus, quae Wytttenbachius dicit de Diodoro:<sup>2)</sup> Hanc caussam Pericli huius belli suscipiendi fuisse iactarunt eius inimici et Comici. . . . Quorum si qua fuit species veri, pertinebat ad occasionem et initium belli, non ad causam, quippe diu antea utrumque agitati et destinati. Postea demum historici haec e comicis susceperunt, cum historia rhetorice ad delectationem converti coepisset. Ex his fontibus fluxit illa de Alcibiade narratiuncula, relata a Diodoro Siculo XII, 38, cuius monito Pericles belli initium fecisse dicitur<sup>3)</sup>. Addo fr. 115 ex Plutarchi

<sup>1)</sup> Marcius ad hunc locum: „Sed Ephori nostri ut vindicemus integritatem et probitatem, nihil fere restat, nisi ut plures, quarum notitiam acceperit belli caussas ab eo, ut historico, proditas fuisse statuamus, deteriore vero a Diodoro, non acerrimi iudicii homine electam.“ Hoc loco integritas et probitas Ephoro vindicari non posse mihi videtur.

<sup>2)</sup> Wytttenbachius: *Bibl. Crit.* Vol. III. P. XI. pag. 80 seq.

Vita Themistoclis cap. 27. pag. 125: Thucydides prodidit Themistoclem Xerxe defuncto cum eius filio sermonem contulisse, Ephorus vero et alii complures ipsum Xerxem convenisse cum Themistocle narraverunt.

Hisce satis elucere puto, Ephorum Thucydidis libros quidem cognovisse, saepissime autem fidum ducem deseruisse.

Quod ad Xenophontem attinet, num ex eius libris quid in Ephoreos fluxerit definiri non potest. Nam quae res post bellum Peloponnesiacum sunt gestae tam in omnium ore erant, tamque illi aetati, qua Ephorus ad conscribendam historiam accessit, erant propincae, ut eum potissimum ex regula sua interrogando eos, qui ipsis rebus interfuerant, sua expertum esse affirmare me posse putem. Praeterea saepissime ab iis quae Xenophon refert discedit, ac veriora narrat quam ipse Xenophon, nullamque eius iniicit mentionem, nec laudibus eum effert, nec, cuius saepius occurrisset occasio, iniuriae eum redarguit.

Exstant adhuc nonnulli loci, quibus aut Xenophontis auctoritatem repudiatam esse, aut eius historiam illi fuisse ignotam augurari licet. Sic fr. 129 legimus, in proelio ad Cunaxam commisso copias Artaxerxis non infra quadringenta milia fuisse, cuius numeri auctor fuisse videtur Ctesias.<sup>1)</sup> Contra ea Xenophon<sup>2)</sup> multo maiorem numerum duodecies centenorum milium hominum prodidit. Porro Ephori fr. 138 Mantinensium civitatem in quinque pagos divisam fuisse indicat, quam Xenophon<sup>3)</sup> in quattuor pagos distractam fuisse tradit. Sed nescio an recte Müllerus<sup>4)</sup> e fr. 144 discrepan-

tiam cum Xenophontis Hellenicis VI, 4, 31 repetat. Iasonem enim Ephorus a septem adolescentibus quibusdam, qui gloriandi causa inter se coniuravissent, interfectum esse tradit, Xenophon vero ab eodem numero adolescentium, qui dissensionis specie illi appropinquavissent. Alia fuit narratio multum ab hac discrepans, quam apud Diodorum<sup>1)</sup> legimus, qua Iason a fratre suo Polydoro obtruncatus esse ferebatur. Sed utut res est, certo testimonio confirmare non possum Ephorum Xenophontis libros adhibuisse.

Cum iam ad Ctesiam inquisitio nostra sit deducta repetere nolo, quae modo dixi, inter ipsum et Ephorum maximum esse consensum in aestimando militum numero, quos Artaxerxes in pugna ad Cunaxam habuit. Quo in numero scriptores maxime discrepabant, ut Plutarchus et Xenophon nos docent. Ephorus autem Ctesiam sequitur auctore non nominato, quod non fecisset, si hoc tantum loco ei assensus fuisset, neque uberiorem rerum copiam illius libri praestitissent. Sed quae singulae res ex Ctesiae opere sint desumptae, cum utriusque operis parum supersit, decerni non potest.

Haec de fontibus Ephori principibus. Adiungo verba Polybii<sup>2)</sup> de Ephoro, bella sui temporis describente: „Ephorus, inquit, bellicorum operum, quae quidem mari geruntur, notitiam aliquam habere mihi videtur, verumtamen proeliorum terrestrium plane est ignarus. Quare si quis Ephorum spectet verba facientem de navalibus ad Cyprum Cnidumque proeliis, quae Persici regis duces tum contra Evagoram Salaminiū, tum adversus Lacedaemonios commiserunt, mirabitur sane historici facundiam atque peritiam, atque hinc multam utilitatem ad similes casus colligere possumus. Cum

<sup>1)</sup> Ctesias ap. Plutarch. Artax. cap. 12 et 13.

<sup>2)</sup> Xenoph. Anab. I, 7, 10.

<sup>3)</sup> Xenoph. Hellen. V, 27.

<sup>4)</sup> Müller. prolegg. pag. LXIII.

<sup>1)</sup> Diodor XV, 60.

<sup>2)</sup> Polybius XII, 25 g. ed. Paris. ex Excerpt. Vatican.

autem pugnam ad Leuctra narret Thebanorum et Lacedaemoniorum, aut illam, quae ab iisdem ad urbem Mantineam conserta est, ubi vitam Epaminondas profudit, huius inquam narrationis si quis partes consideret, et aciei instructiones eiusque varias mutationes, quae fervente proelio acciderunt, ridiculus videbitur auctor, et plane imperitus, ut qui numquam eiusmodi quidquam viderit. Leutricum igitur proelium, quia simplex fuit et uno genere artificii militaris peractum, historicum inscitiae non admodum arguit, verum illud ad Mantineam, quia variam et plenam arte imperatoria formam habuit, id ad historici ingenio neque ferri neque intellegi potest. Quae res prorsus patebit, si quis vera locorum facie sibi proposita, in his motus illos dimetietur, quos Ephorus narrat. Atque id ipsum Theopompo quoque accidit, maxime autem Timaeo. Nam quaecumque eius generis res narrant, latet eorum imperitia, verum quando singillatim eas exponere et demonstrare aggrediuntur, omnino tales apparent, quales Ephorus.<sup>4)</sup>

Spectat haec Polybii reprehensio de iis proeliis quorum descriptio haud simplex sed aliquo modo impedita atque implicita erat, sive propter varios fortunae eventus, sive propter varias artes imperatorias, ad illum morem rhetoricum aut exaggerandi militum numerum aut exornandi virtutem ducum, de quo supra dixi. Eiusmodi exempla praebent fr. 113, 123, 132. Ceterum Polybius severior iudex in Ephorum mihi videtur, quippe qui, ipse rei militaris peritissimus, ex hac sola parte de Ephori fide iudicet, neglegatque omnia alia.

Hanc de fontibus partem concludo alia reprehensione in Ephorum. Apud Eusebium<sup>2)</sup> enim haec Porphyrii verba

legimus: *Τί γὰρ Ἐφόρου ἴδιον, ἐκ τῶν Δαίμαχου καὶ Καλλισθέου καὶ Ἀναξιμένους ἀνταῖς λέξεσιν ἔστιν ὅτε τρισχίλλους ὄλους μεταιδέντος στίχους, et alio loco<sup>1)</sup> haec: Ἀναξιμένους ἔστι δύο περὶ τῆς Ἐφόρου κλοπῆς. Ἀλλὰ οὐδὲ ὁ τῶν λοιπῶν Ἰάμβων καὶ Ἐπιγραμμάτων ποιητῆς παρῶν δὴκε τὰς Ἐφόρου κλοπὰς ἐξελέγγων.*

Ea vero criminatio ratione temporis refelli potest. Nam Daimachus, Callisthenes, Anaximenes Alexandri aetate vixerunt, quo tempore Ephorus aut mortuus aut summa saltem in senectute erat, historiarumque libros ad finem perduxerat.

Recte Müllerus<sup>2)</sup> ea verba ad Paradoxorum libros quindecim, ad libros viginti quattuor de bonis et malis, fortasse ad inventorum libros duos refert, quos ex Ephoro, Daimacho, Callisthene, Anaximene conflatos nostri auctoris nomen in fronte habuisse contendit.

<sup>1)</sup> l. l. pag. 467.

<sup>2)</sup> Müllerus: Prolegg. LXIV.

<sup>1)</sup> Cf. Müller: Prolegg. pag. LXIII.

<sup>2)</sup> Eusebius. Praep. evang. X, 2 pag. 464. Col.

## CAPUT V.

## DE EPHORI FIDE E LIBRORUM RELIQUIIS ERUENDA.

Absolutis his quaestionibus de fontibus Ephori restat, ut ex ipsis reliquiis, quantum possumus, historiae veritatem eruamus, quo uno modo fidem Ephori cognoscere, eiusque de historia merita recte aestimare possumus. Nam si ex aliorum tantum sententia iudicium tuum de Ephoro facere velles, prorsus distraheretur atque dilaberetur diversis viro-  
rum doctorum opinionibus. Utroque enim tempore auctori-  
tas Ephori ab aliis in dubium est vocata, ab aliis praeter  
modum celebrata. De iis quae ex antiquitate nobis servata  
sunt reprehensionibus supra dixi, neque celavi, Cumaeum  
et ab iisdem scriptoribus, quorum vituperationem subiit, et  
ab aliis summis elatum fuisse laudibus. Porro nostra aetate  
multi fuerunt, quorum doctrinam et auctoritatem agnosco,  
qui parvi eum fecerint, in his Odofredus Müllerus, ex alia  
vero parte alii, qui unumquodque fere, quod exstat ex Ephori  
libris, retinendum ac defendendum sibi proposuerint. Quam-  
obrem, si de scriptore nostro iuste iudicare volumus, eruenda  
quasi nobis erit historiae veritas ex ipsius Ephori scriptis.  
Sed ne exspectes me singulos quosque locos respecturum  
atque perpensurum esse, sed eos solum tractabo, qui ad il-  
lustranda illustriora historiae momenta pertinent.

Iam incipio ab Heraclidarum reditu. In eo ab initio profi-  
teor, me investigare non posse, quaenam ab Ephoro tradita hi-

storiae veritatem sibi vindicare possint. Nec Ephoro nec nobis  
planum esse potest, in eo quid ad historiam, quid ad fabulas  
sit referendum, at fortasse, si Ephori liber de Heraclidarum  
reditu nobis esset servatus, nos plus historiae fide dignae  
cognitum haberemus. Negari quidem non potest, quod Odo-  
fredus Müllerus crimini dat,<sup>1)</sup> Ephorum eas lacunas, quibus  
historia laborabat, suo Marte studuisse explere, nec ubique  
veram fabularum naturam perspexisse, sed interdum, et in  
ipso quidem Heraclidarum reditu describendo eo crimine ab-  
solvendi posse mihi videtur. Nam cum ipse Müllerus doceat,<sup>2)</sup>  
multas exstitisse ea de re narrationes, quae interierint, quid  
nos prohibet, quominus Ephorum unam alteramve aut plures  
cognovisse statuamus? De invasione et de proeliis in illa  
commisisse quae fuerit Ephori sententia, per exiguum reli-  
quiarum numerum investigare non possum. In his Niebuh-  
rius maxime dolendum esse censet<sup>3)</sup> de Ephoreorum librorum  
interitu. Quantum ex illis paucis locis eruere potui, sic He-  
raclidarum reditum sibi finxisse videtur. Tres discernit ex-  
peditiones: Primam, cuius mentionem levem tantum facit,  
attingit Schol. Pindari Pyth. V, 101 (fr. 11 et 13) *Ἰλλόν  
καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἀποτυχόντας τῆς ἐπὶ Σπάρτην στρα-  
τείας ἐπερωτᾶν τὸν θεόν κ. τ. λ.* Oraculum respondisse eos  
esse adsciscendos, in quos Hercules plurima beneficia con-  
tulisset.

Itaque Hyllum et socios suspicatos, Theseum ab Her-  
cule maximis beneficiis fuisse ornatum, Atheniensium implo-  
ravit auxilium. Secundam igitur expeditionem Hyllus cum  
Atheniensibus suscepit. In eodem Schol. l. l. et tertiam ex-

<sup>1)</sup> Müllerus: Dorer I, 97.

<sup>2)</sup> l. l.

<sup>3)</sup> Niebuhrius: Alte Gesch. I, pag. 207.

peditionem ex Ephori libris narratam reperimus: Aristodemum postea per Boeotiam iter facientem occurrisse nonnullis Thebanis sacra facientibus, et audivisse praeconem bona petentem Aegidis. Tum vero in mentem illi venisse, oraculum suasisse, ut socios Thebis advocarent. De tertia expeditione nihil amplius nobis est notum, praeter quod Strabo VIII pag. 547 ex Ephoro narrat, Oxylum Heraclidis in Peloponnesum revertentibus ducem itinerum fuisse. In describendis his expeditionibus Ephorus abhorret a communi narratione. Discrepantia autem illa posita est in diversa memoria de oraculi responso,<sup>1)</sup> quod Hyllus perperam interpretatus frustra reditum est conatus. In eo vero omnes quotquot sunt narrationes congruunt, quod decepti ambiguo oraculi responso frustra iter susceperint Heraclidae, neque iniuria Odofr. Müllerus illas falsas interpretationes ad posteriora Atticorum tempora refert.<sup>2)</sup> Quae enim difficultates Heraclidis in Peloponnesum invasuris sive locorum impedimentis, sive inimicorum armis obstiterant, fando propagatae atque celebratae erant, et cum Graecis omnia ad deorum voluntatem referendi inesset consuetudo, facile fieri potuit, ut falsa oraculorum interpretatione exornarentur atque extollerentur. Atque adeo Müllerus oraculi verba apud Apollodorum rhythmis iambicis, nondum prorsus solutis, descripta demonstrat e tragoediis esse desumpta.<sup>3)</sup> Quare Heynius recte:<sup>3)</sup> „In omni, inquit, Heraclidarum historia ad oracula rerum eventus referri solent: seu ipsius aetatis seu tragicorum more, callide ad fatalem necessitatem rerum eventus revocantium.“

Dores postquam in Peloponnesum invaserunt, Achaeos subactos non eiecerunt, sed auctore Ephoro totam regionem

<sup>1)</sup> Dorer I, 89.

<sup>2)</sup> Dorer I, 59

<sup>3)</sup> Observat. ad Apollod. pag. 203.

cum eis diviserunt. Laconica a regibus Procle et Eurysthene in sex partes divisa est, quarum unam Philonomo, qui terram ipsis prodiderat, reliquerunt; Sparta autem duobus regibus regebatur, in alias vero quattuor regiones reges mittebantur, qui quosvis peregrinos inquilinorum loco reciperent. (fr. 18 apud Strab. VIII pag. 560.)

Is locus maximi est momenti ad illustranda primordia Graecae historiae, sed maxime lacunis laborabat. Restitutus est nostra aetate virorum doctissimorum opera Niebuhrii, Mülleri, Crameri, Meinekii, Curtii.<sup>1)</sup> Odofredus Müllerus eam terrae distributionem ad posteriora saecula refert, Ephorice verba aliis narrationibus fide dignioribus obstare contendit.<sup>2)</sup> Nullam quidem earum narrationum mentionem invenire potui, sed Ephori sententiam eo sustentari confido, quod iam ab antiquissimis temporibus ea, quae tria erant numero, aut quorum numerus tribus productus erat, apud Dores creberrima erant. Sic in Odyssea τ, 177 *Λωριέες τριχάικες* et in navium catalogo de Rhodo insula II. β 655 *ὁὶ Ῥόδον ἀμφε νέμοντο διὰ τριχὰ κοσμηθέντες* et versu 668 *τριχὰ δὲ ψιγηθεν καταφυλαδόν*. Eodem spectat Dorum *ἑξάπολις* in Asia minore. Quapropter non video, cur de Ephori memoria hoc loco sit dubitandum, eoque magis eius auctoritatem valere arbitror, quod apud Messenios, auctoribus praeter Ephorum Stephano et Pausania,<sup>3)</sup> similis terrae divisio fuit.

Non possum, quin paucis aliud attingam, quod Müllerus<sup>4)</sup> Ephoro exprobrat, quod mihi non minus, sit tanti viri venia dictum, modum excedere videtur. Invehitur enim in

<sup>1)</sup> Curtius: Peloponnesus II, pag. 309.

<sup>2)</sup> Dorer I, 96.

<sup>3)</sup> Pausan. IV, 14, 3.

<sup>4)</sup> Dorer I, 92.

Ephorum, qui Hellanico obiecerit, quod in describenda Laconicae rei publicae institutione Proclis tantum et Eurysthenis, sed ne ullo quidem verbo Lycurgi mentionem fecerit, resque ab hoc institutas ad illos rettulerit. Lycurgi enim, ait Ephorus fr. 19 ap. Strab. VIII pag. 562, facta tanti aestimari, ut illi soli templum sit consecratum, sacrificiaque illi quotannis sint oblata, illis vero, quamquam fuerint conditores, ne id quidem honoris esse tributum, ut eorum posterii Eurysthenidae et Proclidae nominarentur, neque ut duces adpellarentur, id quod omnibus conditoribus contigerit. Cuius rei causam adiungit, quod peregrinos homines receperint perque eos regnaverint.

Müllerus negat eos conditores fuisse, secutus Laconum memoriam, quam Herodotus<sup>1)</sup> servavit et post eum Xenophon<sup>2)</sup> et Plutarchus,<sup>3)</sup> qui sua fortasse ex Herodoti libris sumpserunt. Concedendum est, eam narrationem a Laconibus maxime fuisse receptam, sed opponere possumus auctoritatem Thucydidis<sup>4)</sup> et Platonis,<sup>5)</sup> quorum uterque Aristodemi filios conditores nominat, et quidem ex ipsorum Laconum memoria. Similis narratio Ephorum duxisse videtur, neque negare possumus, Proclum et Eurysthenem illa ipsa terrae occupatione et divisione, quam supra illis vindicavimus conditorum nomina meritos esse. Illi enim iure conditores civitatis nominari possunt, qui indigenas et advenas nullo vinculo cohaerentes coniungendo quodammodo legum et imperii unitate civitatis fundamenta posuerunt. Deinde Müllerus pergit, Ephorum eo colligere, ambos reges incolas

<sup>1)</sup> VI, 52.

<sup>2)</sup> Ages. 8.

<sup>3)</sup> Ages. 19.

<sup>4)</sup> V, 16.

<sup>5)</sup> De legg. III, 683.

Dores offendisse, eiusque rei sibi eam finxisse causam, quod peregrinos homines recepissent. Sed ea causa ad veritatem inclinare videtur. Strabo enim ex Ephoro narrat<sup>1)</sup> (fr. 18) iussos fuisse praefectos illarum quattuor urbium *δέχασθαι συνοίκους τούς βουλομένους τῶν ξένων διὰ τὴν λειπανδρίαν*, et similem discordiam inter indigenas et advenas Dores apud Messenios reperimus.<sup>2)</sup> Denique addi mihi posse videtur, omnino indigenarum animos non admodum amicos fuisse Doribus, cum traditum sit, in multis urbibus eos, qui Achaeorum relictis essent, per multos annos obstitisse Dorum dominationi. Quod si concedimus, quid est cur Ephoro credere non possimus, illos reges nimis favisse Achaeorum rebus, ut ipsos sibi conciliarent, Doresque ea re sibi abalienavisse?

De Messeniae divisione, cum in dubium non sit vocata, et nonnullis aliis praeter Ephorum auctoribus confirmetur, verba non faciam.

Ex iis igitur quos attuli locis liquere mihi videtur, Ephorum de primordiis historiae Graecae accuratissime atque diligentissime egisse, et quamquam omnes res ab ipso narratas, et unamquamque causam qua suam sententiam sustentavit haud probaverim, tamen de his rebus eum iniuste et inique obiurgatum esse arbitrator. Sed nostra aetate non defuerunt qui Ephori auctoritatem defenderint.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Strabo VIII, 560.

<sup>2)</sup> Strabo VIII, 554.

<sup>3)</sup> Niebuhrus: Alte Gesch. I, 209. Nach dem, was wir aus Strabo über das wissen, was er (Ephorus) über den alten Zustand der dorischen Staaten im Peloponnes gesagt hat, können wir nicht daran zweifeln, dass er z. B. statt der ganz unhaltbaren Fabeln und der Gedichte des Rhianus vom messenischen Kriege, bei denen Pausanias verweilt,

Sed cum in Peloponneso nimia esset hominum multitudo ad terras septentrionales partim Dores sunt reversi, partim indigenae e Peloponneso, primaria sede, emigrarunt. Quorum expeditionem in Helladem, quae proprie dicitur, secutus Ephorus libro secundo eius commutationem exponit. Is liber priore non minoris est momenti, quippe qui singularum civitatum Graeciae statum vetustum attingat, sed in hunc librum potius illa Mülleri reprehensio cadere videtur, in quo studium explicandarum rerum caussarumque exaggerandarum imbecillitatemque ingenii Ephori maximam nemo non videt. Conferas quaeso fr. 26, 29, 30, de quibus amplius disserendi infra se praebebit occasio. Alius autem in hoc libro est locus, cui Strabonis reprehensio in Ephorum inest<sup>1)</sup>, ad quem tamen fortasse in Ephori favorem disputari potest. Ephorus enim Acarnanes expeditioni adversus Troiam non interfuisse contendit fr. 28., et fortasse eam ob rem a ceterorum traditis discedit, quod Acarnanum nomen neque in navium catalogo, quem bene inspexisse Cumaeum pluribus caussis augurari atque suspicari possumus, invenitur, neque ubivis inter Graecas civitates adversus Troiam profectas.\* Niebuh-

eine wahre Geschichte gegeben hat. Sie mag sehr kurz gewesen sein. Ephorus muss dem Umfange seiner Bücher nach zu schliessen über die alte Geschichte viel aufgezeichnet und geforscht haben, aber ich bin überzeugt, dass Ephorus über die Zeiten, worüber man wenig oder gar nichts wissen konnte, auch wenig oder nichts gesagt hat. Curtius, Peloponnes II, 118: Auch sind die aus Strabo, Diodorus, Scymnus aufbewahrten Bruchstücke von grösster Wichtigkeit; sie geben uns von den alten Landeseintheilungen in Messenien und Laconien werthvolle Kunde, und beweisen, ein wie reiches Material für historische Topographie mit seinem Werke verloren gegangen ist.

<sup>1)</sup> Strabo X pag. 709.

rius illi populo posteriore demum tempore id nomen fuisse inditum demonstrat.<sup>1)</sup> Cum enim Pelasgi cum Hellenibus eam regionem incolerent, et Hellenes regno Cephalleniorum adscripti essent, qui quidem Ulyxem secuti Troianis maxima intulerunt mala, Acarnanes seorsum non bene nominari poterant, etiamsi id nomen eo tempore habuissent. Itaque Ephorus eodem nititur argumento, quo postea ipsi Acarnanes qui auctore Strabone<sup>2)</sup> Romanorum imploraverunt auxilium caussam interserentes, suos maiores solos Romanorum patres non persecutos esse bello, cum eorum nomina apud Homerum nusquam legerentur.

Quibus migrationibus cum et in Peloponnesum et in Helladem nimia confluxisset hominum multitudo, multi ad exteriores regiones, praecipue ad Asiae proximas terras emigrarunt, quorum expeditiones Ephorus tertio libro prosequitur. Coloniarum historiam exponit, sed perpauca tantum relicta sunt nobis ex hoc libro, de cuius interitu eo magis est dolendum, quod non nudam enumerationem coloniarum eum continuisse sed ad illustrandam earum historiam multum lucis attulisse ex reliquiis conspici potest. Nam quae adhuc exstant reliquiae, Cumaeum optime egisse de singularum urbium origine atque institutione indicant: Ita fr. 31 dignum est quod afferatur, cum contineat locum praestantissimum de quinque tribubus Ephesiorum aliunde non cognitum, porro fr. 32., quod de Miletum origine Cretica agit, praesertim cum Ephori verba Pausaniae narratione in summa rerum cum Ephoro congruente<sup>3)</sup> sustententur atque explicentur; denique fr. 35, quod trium vix cognitarum urbium mentionem con-

<sup>1)</sup> Nieb. Alte Gesch. I, 292.

<sup>2)</sup> Strabo pag. 642.

<sup>3)</sup> Pausan. VII, 2, 5.

tinet, eoque testimonium praebet, Ephorum copiose egisse de coloniis.

Ab ea coloniarum descriptione Cumaeus sequentibus duobus libris ad geographiam totius orbis terrarum, qui tum erat cognitus, progreditur, et ita quidem, ut libro quarto, cui nomen Europae inscripsit, de rebus geographicis ad hanc terrae partem pertinentibus agat, praemissa de terrae forma atque incolis commentatione, libro vero quinto de Asia atque Libya. In his multa reperies, quae tibi falsa atque adeo ridicula esse videantur, et auctoritatem Ephori valde diminuere. Sed respicias ad illas imperfectas atque obscuras notiones terrae eiusque partium, quae veteribus praecipue ante Alexandri tempora erant. Maxima pars terrae nondum itineribus erat collustrata, omniaque aut fama quae crescit eundo cognita, aut poetarum non tam veri quam pulcri appetentium commentis exornata. Sed ut hoc loco quantum possumus Ephori servemus auctoritatem, disseramus oportet paucis de geographia apud veteres ante Ephori tempora. Praetereo geographiam mythicam, eas dico notiones debiles, quas Graeci primo tempore habuerunt de situ atque forma terrae, quo tempore ea, quae male cognita aut prorsus ignota erant, et cogitatione depingebatur et poetarum arte efferebantur. Quinto demum saeculo apud logographos, qui, etsi haud magna cum arte critica, narrationes proficiscentium terrarum colligebant, primum apud Hecataeum, et praecipue apud Herodotum descriptionem reperimus quae sufficit, ut quid eo saeculo de multis regionibus fuerit cognitum, investigare possimus. Herodotus orbi terrarum certos fines non adscribit, tres partes discernit: Europam, Asiam, Libyam, sed eam divisionem aspernatur, quia singulae partes inter se tam dispares essent.<sup>1)</sup> Nam Europam ambabus aliis terrae

<sup>1)</sup> Herod. IV, 42.

partibus maiorem atque praeter Europam, quam nos dicimus, et Asiae partem septentrionalem supra Phasin et mare Caspium sitam complectentem sibi fingit. Asiae autem eas regiones, quae Nilum attingunt, cum Libya ad partem terrae australem refert. Europae regiones versus Occidentem sitas, quamquam suo tempore Graecorum coloniis ibi longe lateque diffusis bene erant cognitae, cuius rei Hecataeus testis est, silentio fere praeterit, ac fortasse eam ob rem, quod disserendi occasio se in libris suis non praebet.<sup>2)</sup> Post Herodotum Thucydides ad historiam conscribendam accessit, qui cum in Graeciae historia modo versaretur, eiusdem solum res geographicas attigit atque illustravit. Praeter eos Xenophon libris suis Asiae res geographicas tractavit, sed num Ephoro profuerit, diiudicari nequit. Neque magis affirmaverim, Ephori tempore librum illum, qui inscribitur Hannonis *περίπλους*, fuisse cognitum, cum ab aliis usque ad annum millesimum centesimum a. Ch. deducatur, ab aliis vero Alexandri temporibus conscriptus esse credatur.<sup>3)</sup> Qua de re dubium est, num Africae orae, quae in eo libro primum descriptae sunt, Ephoro satis notae fuerint. De Syclace, cum inter viros doctos eadem sit dissensio,<sup>4)</sup> supervacaneum est disserere. Ea quae dixi primaria Ephoro fuerunt auxilia. Quamobrem quid est mirandum, quod saepenumero eum fabulosa atque horrenda narrantem audiamus, praesertim cum geometriae atque astronomiae, illorum geographiae adiumentorum, sibi non magnam comparare potuerit cognitionem? Terrae formam, ut de ea primo loco loquar, sibi quadratam

<sup>2)</sup> Niebuhrius: Kleine histor. u. philol. Schriften tom. I pag. 142.

<sup>3)</sup> cf. Hugius qui programmate 1808 copiose de eo libro egit.


<sup>4)</sup> Marxius pag. 49—51; Uckert. Geogr. der Alten I, 61.

<sup>5)</sup> Uckert. Beilage 3.



et oblongam finxit, quod apud Cosmam legimus. cf. Topogr. Christ. pag. 148 (fr. 38). Regionem orientalem, quae est versus subsolanum, Indi habitant; meridionalem, quae austrum versus Aethiopes incolunt; occidentalem, unde flat favonius, Celtae tenent; borealem denique septemtriones versus sitam Scythae occupant. Neque tamen hae singulae partes pares sunt. Nam quae ad Scythas atque Aethiopes pertinent maiores sunt Indorum et Celtorum regionibus. Binae vero magnitudine sibi respondent. Nam Indi inter aestivum habitant et hibernum ortum, verum Celtae inde ab occasu aestivo usque ad hibernum regionem occupant; quod quidem spatium par est illi alteri, atque plane oppositum. Quae a Scythis tenetur regio reliquo solis cursu metienda est.

Haec Ephori distributio terrae apud Cosmam tali scia-graphia, ut ita dicam, illustratur:



In his multa reperies quae partim accuratius descripta partim prorsus commutata desideres. Mira enim illa descriptione de terrae situ atque forma rerum inscitia indicatur, attamen in illa alia explicatione de finibus terrae, a quattuor tantum populis habitatis, priscorum consuetudine complectendi eorum populorum nominibus omnes fere gentes remotiores, Ephoro potius venia est danda. Legimus enim apud Strabonem I, 5, 8: *Φημι κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὡσπερ τὰ πρὸς Βορρῶν μέρη τὰ γνώριμα ἐν ὀνόματι*

*Σκύθας ἐκάλουν ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος, ὕστερον δὲ καὶ τῶν πρὸς ἐσπέραν γνωσθέντων, Κελτοὶ, καὶ Ἰβηρες, ἢ συμμίκτως Κελτιβηρες, καὶ Κελιοσκύθαι προσηγορεύοντο, ὑφ' ἐν ὄνομα τῶν καθέκαστα ἔθνῶν κατατομένων διὰ τὴν ἄγνοιαν οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα, Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι, τὰ πρὸς ὠκεανῶ.*

Neque vero maiorem fidem merentur, quae de populorum remotiorum moribus atque institutis narrat. Praecipue de Celtis, ut ab occasu initium faciam, talia sunt allata, quae levem sane scriptorem omnique terrae notitia carentem prodant. Conferas, ut exemplum proponam, fr. 39 apud Ios. c. Apion. I, 12, in quo Iberos unam tantum urbem incolere contendit. Multi quidem viri docti operam navaverunt, ut hoc loco Ephori auctoritatem servarent, inter alios Vossius,<sup>1)</sup> qui gravissimis caussis in Ephori favorem locutus est, cum defendi posse eius verba contenderet prisco loquendi usu, quo insulae peninsulaeque πόλεις vocitarentur. Sed standum cum Ephoro hoc loco non puto, partim nisis Iosephi verbis dicentis, eas quidem, quae ad mare iacuissent regiones, fuisse Graecis cognitatas, multo autem postea eas, quae a ripa in interiorem terram continentem se extendissent, quippe quae cum Graecis nullo commercii vinculo fuissent coniunctae, partim vero eo, quod omnibus fere locis de occidentalibus populis agentibus apud eum aut fictas aut incertas res reperimus. Tales loci sunt fr. 41 apud Strab. III, 202 et fr. 43 ap. Strab. VI, 305. Quod illum attinet, iam a Strabone mendacii redarguitur, quod in sacro promontorio ἱερὸν Herculis positum esse contendisset, cuius ne ullum quidem vestigium adesset, nisi forte aliquot lapides ibi congestos qui ab advenis more patrio sertis redimerentur, ἱεροῦ nomine designare vellet; in hoc vero Celtorum fines praeter modum

<sup>1)</sup> Vossius ad Scylacem tom. I pag. 48 geogr. min. Hudson.

extendit. Similia sunt ea, quae fr. 44 leguntur, Cimbros adversus undas arma arripere, Celtasque passos domus suas aquis dirui, easdem rursus aedificare, pluresque aquis quam bello perire. Haec de populis occidentalibus. Omnino Ephorus in his narrationes antiquitus traditas secutus esse videtur, satisque habuisse in referendis illis rebus vagis atque incertis, quas aliunde compertas habebat. Sed comitemur Cumaeum gentis suae terram atque mores describentem, in quibus potissimum eius merita de geographia posita esse apparebit. Ephorus enim geographiam a ieiuna enumeratione civitatum atque urbium ad vividam cuiusque regionis descriptionem avocavit; in ipsius libris origines atque situs urbium incolarumque mores atque instituta coloribus, ut ita dicam, vividis expressa nobis obversantur. Audiamus prae aliis Strabonem Polybii sententiam sic afferentem: Πολύβιος, φήσας, περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καλῶς μὲν Εὐδοξόν, κάλλιστα δ' Ἐφορον ἐξηγεῖσθαι περὶ κίσεων, συγγενειῶν, μεταναστάσεων, ἀρχηγειῶν. Exempla nobis permulta sunt, unum autem locum affero, quem Strabo servavit IX pag. 614 (fr. 67.) quo pulcherrima Boeotiae descriptio continetur: Ἐφορος δὲ καὶ ταύτην κρείττω τὴν Βοιωτίαν ἀποφαίνει τῶν ὁμοίων ἔθνων καὶ ὅτι μόνη τριτάτατος ἐστὶ καὶ λιμένων εὐπορεῖ πλεόνων ἐπὶ μὲν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ καὶ τῷ Κορινθιακῷ τὰ ἐκ τῆς Ἰταλίας, καὶ Σικελίας, καὶ τῆς Αἰβύης δεχομένη· ἐπὶ δὲ τῶν πρὸς Εὐβοίαν μερῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Εὐρίπου σχιζομένης τῆς παραλίας· τῆ μὲν ἐπὶ τὴν Αἰθίορα καὶ τὴν Ταναγρακίην, τῆ δ' ἐπὶ τὸν Σαλαγέα, καὶ τὴν Ἀνθηδόνα, τῆ μὲν εἶναι συνεχῆ τὴν καὶ Ἀγυπτον, καὶ Κύπρον, καὶ τὰς νήσους Θάλασσαν· τῆ δὲ τὴν κατὰ Μακεδόνας, καὶ τὴν Προποντίδα καὶ τὸν Ἑλλήσποντον. Προσίθησι δὲ καὶ, ὅτι τὴν Εὐβοίαν τρόπον τινὰ μέρος αὐτῆς πεποίηκεν ὁ Εὐρύπος, οὕτω στενὸς ὢν, καὶ γεφύρα συνεξουγμένος πρὸς αὐτὴν διπλέθρα· τὴν μὲν οὖν χώραν ἐπαινεῖ διὰ ταῦτα, καὶ φησι πρὸς ἡγεμονίαν εὐφυῶς ἔχειν

ἀγωγή δὲ καὶ παιδεία μὴ χρησαμένους, ἐπεὶ μηδὲ τοὺς αἰεὶ προΐσταμένους αὐτῆς, εἰ καὶ ποτε κατώρθωσαν, ἐπὶ μακρὸν τὸν χρόνον συμμεῖναι. καθάπερ Ἐπαμεινώνδας ἔδειξε τελευτήσαντος γὰρ ἐκείνου τὴν ἡγεμονίαν ἀποβαλεῖν εὐθὺς τοὺς Θεβαίους (συνέβη), γευσαμένους μόνον αὐτῆς. αἴτιον δὲ εἶναι, τὸ λόγων καὶ ὁμιλίας τῆς πρὸς ἀνθρώπους ὀλιγορῆσαι, μόνῃς δ' ἐπιμελεσθῆναι τῆς κατὰ πόλεμον ἀρετῆς. cf. fr. 46 et 47 de Locris Epizephyriis; fr. 63 de Euboea.

Alius locus apud Strabonem X pag. 735, qui agit de Creta insula, testimonium praeclarum praebet diligentiae et subtilitatis, quam Ephorus in depingendis gentium institutis ac moribus adhibuit. Is locus, quamquam multa continet, quae nostris diebus, auctis auxiliis, probanda non videntur, cum multum afferat ad illustrandam eam, quae inter Cretam et Spartam intercessit rationem, et ad enucleandam illam gravem atque difficilem quaestionem, quae utroque tempore magnorum virorum ingenia occupavit, utra civitas in legibus atque institutis condendis alteram sit secuta, dignus est, qui paucis explicetur. Praeter Ephorum Callisthenes, Plato, Aristoteles eam similitudinem explicare studuerunt. Et re vera summi magistratus, βουλή, σοσίστια et alia luce clarius ostendunt illas civitates iisdem nixas fuisse fundamentis. Sed unde haec coniunctio atque hic connexus? Ephorus eum sic sibi finxit. Minime Althaemeni, coloniae in Cretam duci, adscribi potest, nam is filius Cissi fuit, qui Argos condidit eo tempore, quo Procles Spartam; Lycurgus autem sextus a Procle fuit, eamque ob rem colonia in Cretam ante Lycurgi aetatem est deducta. Qui error in ea argumentatione sit, nostro tempore statim elucet. Manifestum enim nobis est, Lycurgum ea instituta non finxisse, vel e nihilo creavisse, quippe quorum

<sup>1)</sup> Strabo X pag. 465.

elementa antea apud Dores fuerint, et in insulam facile deferri potuerint. Deinde Cumaeus alio argumento eos refellere studet, qui contenderent, quasdam urbes in Creta, cum coloniae essent Spartanorum, eorum mores recipere debuissent. Negat illas urbes a Spartanis coactas fuisse conditorum servare instituta, cum et coloniae multae patrios non sequerentur mores et in Creta multae urbes, a Spartanis non ortae, tamen eorum starent institutis. In his vero Ephorus non respexisse videtur, quod nec colonia Argos nec in Cretam deducta statim ab initio totam insulam occupavit; primo enim tempore in paucas tantum urbes instituta Dorum inferebantur, donec extensa Dorum dominatione ad alias urbes propagarentur. Denique alia caussa nititur Ephorus, quod saltatio, quae in usu esset apud Lacedaemonios, et rhythmus et paeanes, qui ex lege canerentur, aliaque multa instituta nomine Cretensium significarentur, utpote e Creta petita. Et quidem negari non potest, ad illa Cretes multum attulisse, sed pro eo tantum tempore valent, quo in utraque civitate instituta publica iamdudum erant confirmata atque stabilita. Sed ut res est, concedendum est, fieri potuisse, ut insula Spartam iuaret. Nam Creta ducentos fere annos ante Lycurgum Dores receperat, et in quibusdam fortasse urbibus elementa Dorum ad firmam atque stabilem formam pervenerant, priusquam in Peloponnesum fuerunt recepta, ubi resistantibus longum per tempus Achaeis maxima impedimenta ordinandis rebus publicis obstabant.<sup>1)</sup>

Ephorus, postquam de Lycurgi itinere in Cretam et de eius commercio cum Thaletas — id, quod anachronismum continet — verba fecit, praecipuas Cretum consuetudines ac mores pertractavit. Praecipue de matrimoniis, educatione, sys-

<sup>1)</sup> Hoeck: Creta III, 5.

sitiis, de aliis rebus ad vitam privatam pertinentibus egit, in iisque describendis diutius versatus esse videtur, quam in illustrandis magistratibus. Omnino Ephorus in res privatas maximo studio incubuisse videtur. cf. fr. 47, quamobrem eius reliquiae plurimum afferunt ad cognoscendas antiquitates Graecas. Attamen ne putes eum in patriae suae descriptione, ubi proprio Marte pugnare, neque in errorem perducere poterat aliorum vagis atque incertis narrationibus, semper verum assecutum esse, vetat fr. 26 apud Ammon. de differ. verb. pag. 70, in constituenda Thebanorum a Thebagenis differentia. Hoc loco vestustis fabulis indulsisse videtur, neque immerito Odofr. Mülleri criminationem sibi contraxit.<sup>1)</sup> Eodem iure a Strabone X pag. 710 fr. 29 inconstantiae accusatur, quod Aetoliam omni tempore indomitam adpellaverit, quam ipse primum a Curetibus, postea ab Aetolo et Diomedea obsessam fuisse narraverit. Haec vero, quamquam produnt scriptorem leviolem, eiusque diminuunt auctoritatem, tamen nostram sententiam de fide in rebus ad Graeciae geographiam pertinentibus labefactare non possunt, cum tot tantaque eius curae atque sinceritatis vestigia conspexerimus. Neque Strabonis sententiam mutaverunt, qui ipse profitetur, se Ephorum, accuratum et diligentem ducem, sequi fr. 70: "Εφῶρος, inquit, ἢ τὸ πλεῖστον χωρῖμα διὰ τὴν περὶ ταῦτα ἐπιμέλειαν.

Post Graeciae geographiam Ephorus de aliis Europae terris locutus est, et ita quidem, ut Scytharum terrae et morum descriptione huic libro finem imponeret. Quod e

<sup>1)</sup> Odofr. Müller: Minyer: Die Worterklärung ist albern, die Unbestimmtheit des Ganzen zeugt von Ungründlichkeit. Aber Pelasger wohnten damals in der Gegend von Panaktion an der attischen Grenze. (Prokl. bei Photion pag. 990), Pelasger waren das Grund- und Urvolk Thebens und also auch wohl diese Θηβαγενεῖς.

Strabonis l. VII pag. 463 certum est ubi legimus: *Ἐφορος δ' ἐν τῇ τετάρτῃ μὲν τῆς ἱστορίας, Ἐδρώπη δ' ἐπιγεγραφομένη βίβλῳ, περιοδεύσας τὴν Ἐδρώπην μέχρι Σκυθῶν ἐπὶ τέλει φησὶν* etc. Inde concludere licet, ipsum a parte Scytharum terrae opposita, a columnis Herculis, initium sumpsisse et maris mediterranei littus septentrionale amplexum fuisse. De Scythis vero quae affert, cum procul degerent aliisque usi sint institutis, vera et falsa promiscue continent. Inter illos magnam discrepantiam vitae esse contendit, cum alii eo immanitatis progredierentur, ut humanis etiam vescerentur carnibus, alii etiam ab aliis animantibus abstinerent. Illorum Scytharum Nomadum, qui equorum lac biberent, quosdam omnibus hominibus iustitia fuisse superiores; quod, ut probet locum affert Homeri Il. V, 5, Hesiodi et Choerili. Ea, quae de mitibus moribus Scytharum affert, abhorrent ab Herodoti et Hippocratis narrationibus. Herodotus enim et Hippocrates Scythas tenuitate quidem victus et fortitudine insignes, sed ferocissimos, valde impolitos ac rudes fuisse tradunt. Quibus memoriae traditis ductus, Niebuhrius Ephorum vituperat,<sup>1)</sup> quod Scythis adscripserit, quae Homerus et, ut videtur Hesiodus, de solis Abiis dixerint, qui a prima antiquitate celebrati fuerint simplici victu et iustitiae amore. Niebuhrius pergit, ex illis antiquissimis fabulis de Abiis postea eandem laudem in Scythas esse delatam ab iis, quibus eorum fines non tam bene cogniti fuerint quam Herodoto<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Niebuhr: Kleine vermischte Schrft. pag. 369.

<sup>2)</sup> Niebuhrius l. l.: Aus diesen alten Fabelsagen übertrugen die Späteren dasselbe Lob auf die Scythen, die Tugend als Folge ihres schlichten und armen Lebens darstellend, wie Ephorus; eine Ansicht im Sinne der Meinung, welche Bildung und Wissenschaft als Quelle des Lasters betrachtet, über die Herodot und Hippocrates, der rohen skythischen Wildheit kundig, gelächelt haben würden.

Quinto libro alteram terrae partem, Asiam atque Libyam pertractat. De Asia propria, quantum ex illis paucis quae supersunt reliquiis conspici potest, accurate disseruisse videtur, praecipue quae de gentibus permixtis primus vidit, acutissimae investigationis sunt indicium, Strabonisque potius laudes quam vituperationem merita essent. Str. XIV pag. 679 (fr. 80). Aliud autem meum iudicium fit, cum persequar eius descriptionem partium Asiae remotiorum et Libyae, ad quam, ut supra dixi, nihil nisi locorum ignorantia, quae tum erat, ad defendendum Ephorum afferri potest. Conferas, quae leguntur de Cerne insula apud Plin. VI, 36 fr. 96, ac prae aliis, quae de Nili incrementis ap. Diod. Sic. I, 39 fr. 108 et 109 dicta sunt, quo loco inundationis causas investigans, talia fabulatur, quae admirationem ac risum movere possint.<sup>1)</sup> Neque vero veterum ea de re effugit vituperationes. Diodorus enim eum vero investigando parum studuisse coarguit, quamquam paullo ante contenderat, Ephorum non negligentia sed loci ignorantia aberrasse. Ac multo vehementius Aristides<sup>2)</sup> invehitur in Ephorum, in copiosa oratione singula Ephori commenta de ea re examinans atque deridens. Sed ad illas reprehensiones vix respondere possumus, cum Ephori sententiam planam ex abruptis et undique collatis locis investigare nequeamus. Marxius<sup>3)</sup> recte suspicari videtur, Ephorum antiquam et obsoletam famam sive in peregrinando sive quocumque alio modo acceptam exornasse atque rationibus firmasse. Quas rationes num sincera monumentorum perve-

<sup>1)</sup> Sequor hoc loco Mülleri emendationem, qui fr. 108 et 109, quibus is locus, quo a Marxio posita erant, non convenit, libro quinto inseruit.

<sup>2)</sup> Aristides Orat. Aegypt. t. III pag. 585 seq.

<sup>3)</sup> Marxius l. l. pag. 215.

stigatione perductus litteris consignaverit, quod Marxius putat, dubito, nimio potius explicandi studio inductus esse videtur. Ceterum ex ipsius Herodoti libris satis edocemur, omnem Africam tum temporis admodum fuisse incognitam cf. Herod. IV, 2.

His quinque libris Ephorus sibi viam ad eum quem sibi proposuerat finem aperuisse videtur, et ita quidem, ut tribus primis libris de primordiis populi Graeci, de eius migrationibus et coloniis, quarto autem et quinto de eorum sede egerit. Itaque tam recte quam pulcre Cauerus: ') „Quare efficitur, inquit, ut his quinque libris et historice et geographice operis quasi fundamenta iacta esse videantur. Videmus enim primum populos Graecos, quibus in sequente dramate primae partes agendaerant, ex priscae aetatis tenebris in lucem procedentes, tum theatri, in quo iis agendum erat, cognitionem capimus.“

Inde a libro sexto ad historiam se vertit, in reliquis viginti tribus aut quattuor libris res usque ad Perinthi obsidionem gestas conscribens. Sed cum de illis rebus quae his libris continentur ut in superiore capite egerim, in quo quantum Herodoti, Thucydidis, Ctesiae libri Ephorum iuverint exposui, et postea mihi sit agendum, ne longus fiam hoc loco verba amplius facere nolo.

---

') Cauerus l. l. pag. 67.

## CAPUT VI.

### DE EPHORI AUCTORITATE APUD VETERES.

Cum ex ipsius Ephori libris fidem in historia conscribenda comprobaverimus, planumque nobis sit factum, ipsum subiectum fuisse iniustae criminationi, reliquum est, ut breviter explicem, quantum antiqua aetate valuerit, quibusque potissimum rebus eius libri alios iuverint.

Quae disputatio in eo potissimum versabitur, ut nonnullis exemplis demonstrarem, quid ex Ephori libris mutuati sint posteriores scriptores. Quod etsi ex iis locis, de quibus antea dixi, magna ex parte conspici potest, tamen libet accuratius inquirere in eam rem. Qua explicatione apparebit multum eius laudis atque admirationis, quae in posteriorum libros, qui multa Ephorea continentes nobis servati sunt, est collata, Cumaeo nostro vindicari posse.

Attamen brevitatis causa non omnium quotquot sunt scriptorum locos, qui ex Ephori libris sunt desumpti, accuratiori explicationi subiiciam, sed paucis mihi satis erit indicasse, quae ab eo petita narrant Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Scymnus Chius.

Diodorus, ut ab illo initium faciam, non solum multa ex Ephori libris sumpsit, sed etiam toto operis consilio Ephorum imitatus est. Quod recte observans Heynius: ') „Si

---

') Heynius: In libro laudato comment. tertia.

opus Ephori, inquit, periisse aegre ferendum est, gratiam habebimus Diodoro, qui fidem eius secutus permulta ex eo servasse putandus est: imitatus ipsum etiam in hoc, quod Ephorus fecisse narratur, ut singulis libris prooemium praefigeret, nec non in dispositione rerum narratarum, quam in Ephoro commendat, quod libros per populorum historias, adeoque ad distinctas operis partes dispescuerat.<sup>4</sup> Nonnullos apud Diodorum reperimus locos, quibus ad Ephori auctoritatem provocat, ut XII, 41 in caussis belli Peloponnesiaci exponendis, XIII, 41 ad Olymp. XCII, 2 de classe Lacedaemoniorum sub Mindaro gravi tempestate ad montem Atho oppressa, et XV, 60 in dissensu de Iasonis tyranni Pheraei morte; XIV, 11 Alcibiadis mortem ex eius libro exponit. Sed multi alii loci ob mirum consensum mutuationis vestigia prae se ferunt. Quamquam ii libri qui in comparationem maxime possent vocari, dico VI—X, interierunt, tamen ex duobus horum librorum locis servatis, et e libris qui sequuntur sine ulla dubitatione contendit potest, Ephorum Diodoro primarium fontem rerum Graecarum fuisse. Duo exstant perditorum librorum loci, qui simillimi sunt Ephoreis: Exc. Vat. 26, in quo narratur, Croesum ad se vocavisse e Graecia praecipuos sapientia viros, et ad eum venisse Anacharsin Scytham, Biantem, Solonem, Pittacum, interrogavisseque primum Anacharsin etc. Similia legimus apud Diog. Laert. (fr. 101): Ephorus apud Croesum septem sapientes, in his Anacharsin contendit convenisse. Diodorus et Ephorus ergo dissentientes cum aliis Anacharsin in septem sapientium numero ponunt. Hoc loco a Diodoro Herodoti auctoritatem repudiata esse videmus; is enim I, 29: ἀπικνέοντα, inquit, ἐς Σάρδεις οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ ὡς ἕκαστος αὐτίων ἀπικνέοιτο. Porro Exc. de virt. et vit. de Eurybate Ephesio narratio congruit cum fr. 100 apud Harpocratonem. Ex iis vero libris, qui integri ad nos pervenerunt, supra pg.

23 in comparationem vocavi narrationem Herodoti de Gelone et Ephori, quam Diodorus secutus est. Conferendus porro est locus Diod. XI, 54 cum fr. 114 apud Plutarchum: De malign. Herod. cap. 5 de Pausania adhortante Themistoclem, ut prodicionis quam moliretur particeps fieret. — Diod. IX, 57 Thucydidis dicentis Themistoclem non ad Xerxem, sed ad Artaxerxem se contulisse auctoritatem aspernatus Ephoro assensus est fr. 115 ap. Plut. Vit. Them. cap. 27. — Diod. XI, 60 et 61 narrat de duplici Graecorum victoria ad Eurymedontem fluvium reportata, quam auctore Plutarcho Vit. Cim. 12 Ephorus discrepans a ceteris memoriae tradiderat. — Diodori XII, 28 narratio de Periclis expeditione adversus Samum suscepta concinit cum fr. 117 apud Plutarch. Vit. Pericl. — Diodori XIV, 13 verba de Lysandri conatibus ex Ephori libris fluxisse edocemur Plut. Lysandro fr. 127. — Diod. XIV, 9 de urbe Entella congruit cum fr. 124. — Diod. XIV, 98 narrat de Amathusiis et Soliis et Otiensibus bello resistantibus, quod idem Ephorus apud Stephanum. fr. 134 — Diod. XV, 5 de distributione Mantinensium agit, in qua neglectis Xenophontis verbis Hell. X, 2, 7 Ephorum sequitur. (fr. 138 ap. Harpocrat.) — Diod. XV, 13 coloniam a Pariis in Pharum insulam ductam esse narrat, quod idem Ephorus ap. Steph. fr. 150. — Diod. XV, 13 moram Lacedaemoniorum quingentis viris constitisse narrat, quod Plutarchus Vit. Pelop. ex Ephoro testatur. (fr. 140). — Diod. XV, 75 de altera Epaminondae expeditione in Peloponnesum Ephori narrationi respondet. (fr. 146). — Quae Diod. XVI, 16 de Philisti morte refert concinunt cum fr. 152, — Diod. XVI, 35 de Onomarchi invasione in Boeotiam cum fr. 135. — Diod. XVI, 64 in enarrandis iis, quae post spoliatum templum Delphicum evererunt, congruit cum Ephori fr. 155 ap. Athen. VI pg. 232.

His potissimum cognitionis iudiciis et quod apud Diodorum nihil Ephoro repugnans inveniretur, Cauerus nisus

statuit,<sup>1)</sup> Diodorum in enarranda Graecorum historia nullos nisi Ephoreos libros adhibuisse. Quae cognatio etsi tanta est, ut in singulis interdum verbis possit agnosci, nihil porro possit inveniri quod repugnet inter eos, — nam de fr. 133, in quo proelium prope Corinthum ita explicatur, ut Lacedaemonii Athenienses superaverint, quod idem proelium ancipiti Marte commissum esse perhibet Diodorus, diiudicari nequit, quod Ephori locus brevior est, — tamen in eandem sententiam discedere non possum. Nonnullae enim aliae causae mihi repugnare videntur. Et primum quidem aliquot locis se sequi Ephorum profitetur Diodorus, quod non fecisset, si ubique nihil nisi Ephorea de rebus Graecis traditurus fuisset; Ephorum vituperat I, 39; laudantur alii scriptores eorumque historiae, ut Thucydides, Theopompus, Xenophon XIII, 42; Apollodorum laudat XIII, 108 de Antimacho. Theopompi vestigia latent XIV, 98 et XV, 2, 5, 8—11 de bello ab Evagora adversus Persarum regem gesto; Diod. XVI, 70 omni ex parte congruit cum Theopompi fragm. 116. Denique Diodori narratio interdum congruit cum Herodoti et Thucydidis, quos locos collegit Cauerus pag. 55 et 56.

Eas ob causas, quas attigisse tantum mihi hoc loco satis esse debet, persuadere mihi non possum, Caueri sententiam, etsi e magno iudicii acumine investigationeque accuratissima est profecta, probandam esse. Nihilominus concedendum est, Diodorum secutum esse prae aliis Ephorum, eaque fortasse ex causa, quod universalis historiae forma, quam suo libro impertiri volebat, eum allexit.

Strabo vero, ut de eo disseram, in libris suis de geographia saepe profitetur, se Ephoreo opere usum esse, de eoque quid senserit, suo loco dixi. Nunc autem, cum nonnullis exemplis demonstraturus sim, quantum Ephori libris sit adiutus, rem ita instituam, ut non singulos locos inter se comparem, sed potius explicem, quibus in describendis

terrae partibus ad Ephori auctoritatem maxime provocaverit; qua explicatione elucebit, quae prae aliis terrae partes e Strabonis, acutissimi scriptoris, sententia ab Ephoro accuratissime sint descriptae. Et quidem incipio a libri octavi initio, quo Strabo prodit, Ephorum seorsum a rerum enumeratione geographiam uniuscuiusque partis orbis terrarum tractavisse. Deinde in Hispaniae descriptione, a qua Strabo chorographiam, ut ita dicam, libro tertio incipit, semel Ephorum laudat, et quidem pag. 202 (fr. 41), quo loco Cumaei notitiam Hispaniae exiguam et levem fuisse tradit. Similia libro IV in Galliae descriptione profitetur, cum sibi Ephorea verba parum tribuisse dicat, quippe quae de Celticae terrae magnitudine de eiusque incolis multa peculiaris contineant. Libro deinde quinto pag. 222 et 337 eum commemorat, qui ab aliis discrepans et Hesiodi versibus inductus Pelasgos ortu fuisse Arcades narrasset, et amplexos fuisse vitam militarem, nec non sibi magnum parasse nomen, cum apud Graecos tum apud alios ad quos pervenissent. fr. 54. Eodem porro libro pag. 735 edocemur Strabonem etiam in rebus ad fabulas pertinentibus Ephori disputationem usurpavisse de Cimeriis eorumque argillis fr. 45. Libro deinde sexto imprimis Straboni obversatus fuisse videtur Cumaeus in urbium originibus atque institutis enarrandis; plurimis enim locis eum commemorat, ut pag. 397 (fr. 46) de Locris Epizephyriis; pag. 398 (fr. 47) de Zaleuco, Locrensium legislatore; pag. 406 (fr. 48) de Crotone; pag. 407 (fr. 49) de Daulio, Metaponti conditore; pag. 408 (fr. 50) de Siciliae ambitu; pag. 414 (fr. 51) de Siculis, Sicanis et Morgetibus; pag. 410 (fr. 52) de Naxo et Megara; pag. 427 (fr. 53) de Tarenti origine. In libro septimo, quo Germaniae et Europae septemtrionalis geographia continetur, pag. 450 (fr. 44) Ephori sententiam de Cimbris refellit, et pag. 504 (fr. 54) Dodonae originem Pelasgicam ex Ephori libris refert.

Sequuntur tres libri VIII, IX, X, quos Graeciae descriptioni destinavit, et ita quidem, ut libro octavo de Peloponneso, libro nono de Attica et de reliquis Helladis, quae proprie dicitur, partibus, decimo vero de Epiro et adiacentibus insulis ageret. Hisce vero libris haud dubium est, quin optimas operis Ephorei partes nobis servaverit, gratiaequae habendae sunt Straboni, quod Ephori vividam atque planam regionum descriptionem, haud admixtis aliorum sententiis, ipsius verbis memoriae prodidit.

Postquam libro octavo de finibus Graeciae occiduis egit, pag. 547 (fr. 15) Peloponnesi geographiam ab Elide incipit, et ita quidem, ut Ephori integram narrationem de Elidis occupatione ab Aetolis facta tradat. Ex iisdem Ephori libris desumpta sunt, quae de antiquo Messeniae statu ac de bellis Messeniis narrat pag. 554 (fr. 20). Ex eodem fonte proflexerunt, quae de Peloponnesi divisione ab Heraclidis facta narrantur pag. 560 (fr. 18) et de Spartanorum re publica pag. 562 (fr. 19). Porro Ephori libris nititur in iis, quae de Bocotiae antiqua historia narrat pag. 616 et 614 (fr. 30 et 67,) et in iis, quae de Phocide oraculoque Delphico affert pag. 646 (fr. 70), quo loco se in explicandis antiquis temporibus Ephori libris prae aliis uti solere profitetur. — Deinde libro decimo Ephori narrationem de Acarnanibus, adversus Troiam non profectis, pag. 709 (fr. 28) reddit, et de Aetolis pag. 711 (fr. 29). Denique de Creta insula quae attulerit, ex copiosa Ephori commentatione esse desumpta narrat pag. 735. (fr. 64.)

Ceterarum partium terrae descriptionem, quae septem reliquis libris continetur, ex Ephoro non esse desumptam conspici potest ex eo, quod antea dixi, Ephorum de terris remotioribus haud multa tradidisse, quae fidem vindicare sibi possent, eamque ob rem a Strabone, accurato atque subtili scriptore, plerumque esse repudiatum. Attamen aliquot

loci, quibus ipsius nomen additum est, etiam in Asiae descriptione Cumaevi vestigia inesse ostendunt. Conferas XII pag. 820 (fr. 85) de Cytoro, emporio Sinopensium et XII pag. 827, (fr. 87), quo loco Ephori sententiam de Haliconibus et Amazonibus examinat; XII, 873 et 896 fr. 89 de Aeolum in Asiam migratione imperiique latitudine. Denique in Ephori narrationem de Asiae minoris gentibus inquit, atque iniuria eius verba de populis ibi commixtis reprehendit XIV, 996. (fr. 80.) His exemplis satis constare puto, Strabonem Ephori vestigia saepissime pressisse, et verbis et ipsa imitatione ostendisse, facere se maximi Ephori auctoritatem.

Transeo ad Plutarchum. In eius libris monitum te velim multa inesse, quae auctore non nominato cum Ephori narratione consentiunt. Quod bene Heerenius vidit,<sup>1)</sup> dicens: „Saepe observabimus, Plutarchum nomina scriptorum ibi maxime silentio transiisse, ubi plurimum iis usus fuerat, non quod eos celaret, sed quod tunc maxime nomina apponere solitus sit, ubi, qui a vulgari sententia discedat, adducitur.“ Quam ob causam Heerenius suspicatur, Ephorum, quem in Lycurgi institutis explanandis diligentissimum fuisse constet, a Plutarcho minime neglectum fuisse. Quae sententia probari potest multis aliis locis, qui apud utrumque fontibus non nominatis, singulis fere verbis congruentes inveniuntur, sed ne modum huius commentationis excedam, satis mihi erit nonnullos locos attulisse, quibus Ephori nomen additum est. Conferas vitam Themistoclis, in qua describenda Plutarchus cap. 27 pag. 125 (fr. 115) narrat, Ephorum discrepantem cum aliis tradidisse Themistoclem collocutum esse

<sup>1)</sup> Heerenius: De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi; vita Lycurgi pag. 21.



cum Xerxe; Vit. Cim. 12 pag. 486 (fr. 116) de proelio ad Eurymedontem commisso; Vit. Pericl. 27 (fr. 117) de Artemone mechanico. Porro in vita Alcibiadis Ephorum commemorat (cap. 32 fr. 121 a,) cum dicat: Duridem narravisse Alcibiadem scenico vestitu Athenas venisse, quod neque Theopompus neque Ephorus neque Xenophon scripserint. Insignis autem apud Plutarchum in vita Lysandri Ephori fuisse auctoritas videtur; laudat enim eum tribus locis, et quidem cap. XVII (fr. 127) de Phlogida, qui prohibendum a civitate illud aurum vel argentum censuerit, quod Lysander Lacedaemonem misisset; cap. XXIV et XXX pag. 447 et 450 fr. 127 de consilio, quod iniisse diceretur Lysander ad evertendam rem publicam Lacedaemoniorum. Deinde Dion. cap. 35 pag. 973 (fr. 152) Philisti historici mortem ex Ephori libris narrat, Ephorumque cum Philisti mortem celebret non satis sobrium esse dicit. Denique affero ex Timoleontis vita cap. IV pag. 277 (fr. 156) de Orthagora vate et e vit. Camilli caput XIX (fr. 9 a) de clade Carthaginensium in Sicilia per Timoleontem accepta. Similiter in aliis Plutarchi scriptis Ephorum ad rem probandam adhibitum fuisse cognoscere licet ex eo, quod saepe eius nomen reperimus, ut in libro de Herod. malign. 36 pag. 869 (fr. 113) de auxilio, quinque navibus Graecis a Naxiis praestito; cap. 5 pag. 855 F de Themistocle et Pausania, qui locus criminationem Ephori continet; in libro, qui Plutarcho vindicatur, De placit. phil. 4, 1 (fr. 108) de Nili inundationibus; de sollert. an. pag. 959 E (fr. 125) de sycophantis Athenis per triginta tyrannos interfectis; Pelop. 16 (fr. 140) de mora Lacedaemoniorum militibus quingentis composita; de garrul. 22 pag. 514 (fr. 143) de quodam homine ubique de Leuctrica pugna ex Ephori libris narrante.

Hic vero loci sufficiant ad confirmandum id, quod volui, Ephorum apud Plutarchum multum valuisse.

Denique de Scymno Chio quid dicam? Eius libellus, id quod Marcius recte vidit,<sup>1)</sup> pro compendio uberioris Ephori geographiae praesertim in Graeciae descriptione haberi potest, quem nullo loco deseruisse videtur, nisi quo aliorum auctorum, Herodoti, Timaei, Eratosthenis, Demetrii mentionem fecit. Ex eius libro si sustuleris ea, quae ex Ephori libris geographicis sumpsit, haud multa priscae geographiae relicta habebis. Quod ipse de Graeciae geographia proficitur v. 470 (fr. 55): „In Graecia loca per gentes omnia ex Ephoro ostendemus.“ Omnis ex Ephoro pendet, quin etiam in eius versibus eadem verba legimus atque in Ephori reliquiis aliunde petitis. Conferas quaeso Ephori cosmog. fr. 38 et Scymni vers. 179 de Aethiopia.

Mutationis vestigia porro praese ferunt vers. 542 seq. (fr. 61) de Cretensium nomine et imperio; vers. 802 seq. de Celtarum moribus ac victu. In Graeciae descriptione comparatione opus non est, in qua ipse se multum ex Ephori libris mutuatum esse concedit. Itaque Scymni Chii versus plurimum afferunt ad cognoscendam Ephori geographiam, maxime autem dolendum est de eo, quod eam destructa forma non ipsius Ephori verbis rettulit.

Hiscie addere possum multos alios scriptores, ut Polybium, Athenaeum, Plinium, Cornelium Nepotem, Velleium Paterculum, Macrobius, alios, quos omnes Ephori libros saepissime usurpavisse reliquiae nos docent. Sed eorum seriem, ne longus fiam, extendere nolo, praesertim cum mihi proposuerim, nonnullis tantum exemplis demonstrare, antiqua aetate Ephorum inter principes scriptorum fuisse relatum, habitumque virum *μνημῶς ἀξιῶν*. Quid quod in Alexandrinorum canonem sit receptus? Nonne hac una re satis refutati sunt

<sup>1)</sup> Marcius pag. 158.

ii, qui minimi eum fecerunt, levissimorumque scriptorum numero addiderunt? Nonne magna pars eius laudis, quae largiter redundavit in eos, quorum libri magna ex parte ex Ephoreis desumpti secunda fortuna nobis servati sunt, tribuenda erit Cumaeo? Concedendum utique est, quod me non celavisse puto, multa contineri Ephori libris, quae iure vituperes, sed quid te prohibet quominus eius in historia scribenda agnoscas merita? Nam Ephorus, quod negare nemo potest, primus fuit, qui conscribendae historiae universalis consilium ceperit, primus deinde, qui initium scribendi sumserit a re vere historica, exclusa fabularum aetate, primus denique, qui geographiam separatim tractaverit ab historia. Porro, quomodo in historia conscribenda est versatus? Non ut plerique ante eum aut suae aetatis ea, quae ab aliis relata habebat, sincere referebat, sed criticae artis face res gestas illustravit, talique modo aliis inquirendi viam stravit. Qua in re potissimum eius vitia sunt observata atque enumerata, omissis atque neglectis iis virtutibus, quibus historia per Ephorum a ieiuna rerum enumeratione ad artem atque disciplinam est elata. Quapropter assentior Niebuhrio dicenti: <sup>1)</sup> „Ephorus war ein höchst wahrhafter Mann, er hatte historisches Talent zur Kritik und Untersuchung; er ist der Erste, der eigentlich historische Kritik in einem grossen Maasse angewandt hat, und bei dem die Geschichte als wissenschaftliche Disciplin erscheint.“

<sup>1)</sup> Niebuhrius: Alte Gesch. II, 410.